



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm
Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Decas Prima

Ripamonti, Giuseppe

Mediolani, 1617

Liber Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11209



**IOSEPHI
RIPAMONTII
EX DOCTORIBVS
COLLEGII AMBROSIANI
HISTOR. ECCL. MEDIOL.
LIBER SECUNDVS.**



Ost Calimerum aliquandiu vacua Mediolanensis Ecclesiæ sedes fuit, eaque traditur causa, quod nimis atrociter ac foede laceratus Calimerus, atq; circumfusa Pontifici Martyrum turba, recens ac triste exemplum animis insideret, obstupe factique ciues hæcerent. Postea cessante metu, Monam pietate clarum, & philosophiae studijs insignem elegere. Seuerus Cæsar hoc tempore tenebat imperium. Is paterno magis quam suo ingenio principio saevis in Christianos, iam factus erat lenior, & quotidie aliquid ex hæreditaria illa crudelitate remittebat. Ita non Mediolani tan-
tum,

tum, sed ubique terratum modica religioni securitas & quies. Etiam in ciuium mores inducta iam pa- latim humanitas & mansuetudo, magis quam vñquā antea promptos & faciles ad Euangelicam disciplinā animos dabat. Iam litteris & sapientiæ, cæterisque bonis artibus honos habebatur, iam Clericorum ferme iustus erat numerus, ijque non sanctimonia solūm & instituto vitæ, sed etiam descriptione ordinum atq; officiorum Ecclesiasticæ rei dignitatem au- gebant. Quarum rerum ego maxima argumenta ha- beo. Namq; præter decretum annum in ingenuo- rum alimenta vectigal, etiam regia librorum copia publicè prostatbat Mediolani, quemadmodum qui- dem clarissimi scriptores perhibent, atque vetustissi- mus in Ambrosiana Basilica lapis fuit monumento. Præterea, delecti pietate ac doctrina præcipui basili- cas tuebantur, quas partim à fundamentis excitatas, partim abrogatas inanibus Dijs, inclytæ religionis populus frequentabat. Et super omnia mouemur ac ducimur illa coniectura, quod eligendo Pontifici, re- cta iam & certa ratio suffragiorum erat instituta, ne- que iam tumultuario consensu, & acclamatione po- pulari, sed destinata in sede comitijs habitis Episco- sum creabant. Igitur, postquam ex eo metu, quem Calimeri casus iniecerat, animos collegere, in curiam à primoribus est ventum. Ibi precati Deum, vt pro- pitius adesset ad regenda cæca mortalium iudicia, inire suffragium parant. Sed breuiore compendio, suorum vota Deus impleuit, statimq; pio gregi pa- stor è cælo est datus. Namque cum iam calculis res

L 2 age-

ageretur; & optimum quoque pro se omnes desti-
narent, augustissimo lumine circumclusus. Monas ef-
fusit, neque mora deinde fuit vlla, quin cælestia
signa secuti mortales, ite latum, ite felicem, & au-
spicari Pontificatum iuberent. Erat Monas Domo
Mediolanensis, consularis ordine, publicè spectatus
admiratione virtutis & doctrinæ. Quippe cùm in
ipsius Calimeri disciplina fuisset à puerò, multa po-
stea in ciuibib⁹, & in Ecclesiasticis officijs dederat
experimenta sui, vulgoque column⁹ & præsidium
olim in ipso fore Christianis febus augurabantur.
Sunt qui stirpis eius originem referant usque in A-
franum Burrum, opesque præcipuas, & decus exi-
miæ nobilitatis memorent. Neque argumēta de-
sunt ex communī petita prædicatione & fama. Si-
quidem Ecclesiæ locupletandæ is fecisse initium di-
citur, neque ambigunt Verbani lacus accolæ; quin
Mona vicus ab ipso nomen habuerit. Postquam il-
lum Deus præclara testificatione sepositum à cæteris
admouit ad Ecclesiæ gubernacula, ita res omneis con-
stituere ac moderari est aggressus, ut appareret, hunc
illum esse Pontificem, quem Deus ipse, non homi-
nes fecissent. Primum omnium, magnum illud opus
animo complexus est, ut Christianar⁹ multitudinē,
quæ adhuc in vnum confusa corpus agebat, descri-
beret in certa membra partesque. Ad gubernandi fa-
cilitatem, & ad profectus explorandos, multasque
cæterarum rerum opportunitates id pertinere est vi-
sum. Igitur tanquam graueni numero ciuitatem exo-
neraret, deduxit eam in parochias, & apte quotidiana-

num

num ad regimen est partitus. Ac principiò quidem, non suum in qualibet patochia & regione templum esse potuit, quippe manente adhuc impietatis Regno, tardoq; & pertinaci ad emigrandum ex aliquot fanis Dæmone. Postea tamen destinationi Pontificis est satisfactum, & haud dubiè parochias ferè omneis numero templorum æquatas vidit. Quippe longum ætum illi, & in id usque tempus producta senecta, quo tempore Philippus Imperator cum Marcia Ota- cilia Seuera coniuge, & Philippo filio, Christi fidem amplexus portam ingentem Euangelio liberumque cursum aperiret. Itaque Monas, turpeis aras & irreli- giosa templa, quæ restabant, expiata sollennibus cæ- remonijs ad unius ac veri Dei cultum transstulit. Etiam destinata ludicris certaminibus loca sacris ædi- bus occupauit, ut memoriam omnem insanæ genti- litatis aboleret. Circus Deiparæ Virgini, Compitale spatum D. Paullo, alijs nominibus aliæ profanæ se- des consecratae. Sed quia non defuere, qui consecratio- num eiusmodi plerasque referrent ad alios Episcopos, ideo singulorū sententias reddemus, ut quiq; locus in- ciderit, neq; committemus, ut industria nostra in super- biam excedat, id quod necesse erat accidere, si uni, aut alteri scriptorum assentientes, fidem cæteris vniuersam abrogaremus. Porro Monas institutis parochijs ut di- stū est, numercq; factarū ædiū aucto, Cleri disciplinam ordinate magis ac magis, & auctoribus eam coercere vinculis est aggressus. Neque verò illi difficile quic- quā, aut arduū occurrebat, inexcogitatos antea ritus, & nouas quotidie leges ad salutem animarum, propaga-

tio-

tionemque diuini cultus imponenti. Scilicet prima
ætas Ecclesiæ nascentis hæc fuit, qua candidissimi
mores, celebrati postea magis, quæm cogniti, diui-
num obsequium & virtutis amorem, rebus omnibus
humanis anteferebant. Per hunc modum felix Mo-
næ Pontificatus expedito cursu procedebat, donec
Cerdonis & Valentini, & aliorum eius monstri ho-
minum infandæ hæreses obstitere. Ij cum abomi-
nandos de Deo sermones varijs locis ore polluto dis-
sipassent, dira contagione peruenit ea pestis etiam in
vrbem Mediolanum, & nescio quomodo factum est,
ut Catholicæ contextus vnitatis in varia membra dis-
siliret. Christi natales augustissimi, diuinitas ciud-
dem, natura & vita, & pro salute humani generis
obita mors, & res aliæ, quarum rerum sacrosancta
sunt ac tremenda nomina, turpissime in dubium à
multis vocabantur. Neque simplex ynicumve illud
erat malum, sed velut continentि ruina omnia secum
trahebat, & vbi opinionis portento labefactari cœ-
pti erant animi, statim luxuria & auaritia cæteræ-
que corruptelæ præcipites homines agebant. Hinc
Pontifici Monæ difficultates & angustiæ, magnusque
labor auertendæ pesti, quod tamen est assecutus, ne-
que deinde tabes vlla Mediolanensem Ecclesiam af-
flictabat. Mox obitus ipsius Monæ, & post Monam,
afflictuere noua martiria, & cædes, reuoluiturq; sæ-
uitiæ Cæsarum orbis, cuius adhuc modica quies ad
Ecclesiæ quietem redundarat. Sed de tempore, quo
mutatio hæc & rerum conuersio facta sit, præcise
affir-

affirmare nihil ausim. Nam quandiu Philippus regnauit, tamdiu stetisse Christianos, postquam idem occubuerat, afflictari & premi cœptos esse, satis quidem constat. Quandiu autem illi durauerit vita post Monam, incertum & ambiguum est, variæq; sententiæ rem eam inuoluunt. Mira vtique authorum licentia, nisi major esset illius, qui ne Christianum quidem in hæc tempora fuisse Philippum affirmans, magnam historiæ partem euertit, amplissimi nominis vir, & à quo discrepare pudeat, si non ipse à cæteris discreparet. Sed siue vnum, siue duos, siue treis annos (nam hic ferè numerus traditur) superstes Monæ Philippus fuerit, minime dubium est, quin post illius obitum premi hic & laborare difficultibus cœperit, quæ scilicet ex Aula in Ecclesiam peruenirent. Ut verò Philippo Decius, pessimus optimo successit, nihil fuit calamitatum & malorum, quin Christiani subirent, perque tempus illud vniuersum, nulla Christifidelibus hora, quæ non antecedente tristior esset, illuxit. Namque Decius, super insitam crudelitatem, etiam effratus odio Philippi, per Ecclesiæ clades, & iniurias exercuit imperium, quantum eam infestarer, tanto clariorem ex inimici iam extincti contumelia, & dolore triumphum petens. Septimus hic post Neronis tempora Christianæ religioni labor fuit, & propè mouebamus loco, nisi vindex numen impotenti dominatui mature finem fecisset. Quippe sanguinarius Cæsar ipsa capita rerum aggressus, iam Romæ Fabianum, Babylam Antiochiæ, alios alibi sustulerat, qui sua veluti

veluti trahebant necē stragēm secum Ecclesiasticā rei, & Pontifice amissō, clarissimā quæque Ciuitates, non secus atque certa iam orbitate mōrebant. Per cæteram verò multitudinem adeò grassatus fuerat, ut humani ingenij fœdum spectaculum exhiberet. Biennium ferè clades hæc tenuit, perq; tempus illud cum ingenti solitudine ac vastitate vacauit Apostolica sedes, nec Ecclesiæ Mediolanensi res interea meliores fuere. Sine Episcopo, sine rectore, ac prope sine diuino cultu, particeps & socia Romanarum rerum ciuitas breue spatiū impij dominatus egit. Monas anno quinquagesimono postquam eam occeperat, deceſſit, vir, cùm ob cætera magnus, tūm memorandus ea quoque re, quòd nemini omnium par vītæ spatiū in Ambrosiano Pontificatu contigerit, siue, qui antea fuerant, siue qui post fuere, comparantur. At in Romana sede tantæ interim varierates atque mutationes extitere, vt septem inde Pontifices vnius hinc æuum æquare non potuerint. Fertur, cùm extreſum ſibi diem imminere ſenſiſſet, prædiſiſſe Clero calamitates eas, quibus poſtea conſecutis, vniuersa Ecclesia horribili concuſſa, & quatefacta motu eſt. Etiam verba, quæ moribundus habuerit, & modum iſum, in quem compoſito corpore ſenex diuinus expiravit, nonnulli ſcriptores retulere. Sed mihi veriſimilia pro veris tradere, aut conciones fingeſte non lubet, iam inde à principio ſcilicet illud molienti ut hæc noſtra narratio monumenti potius auſtoritatē, quām ſpectaculi delectationē habeat. Sacrum Monæ corpus diu in tenebris honore nullo

velut

velut infsepultum iacuit, donec ab Eriberto in Portianam Basilicam, atque inde ab Sancto Carolo Borromaeo in templum maximum sollenni pompa transferretur. De Caroli nomine nihil ambigitur; pro Eriberto, scripsere quidam Angisbertum, cui se se Monas ipse per quietem ostenderit, sedem honestiorem exposcens, & locum, in quo iaceret ostendens. Obitus porrò die viij. Kal. Aprilis, alij Kal. ipsas Aprilis tradunt. Sed Ecclesia secura potius eius diei celebritatem, qui dies cælestis pignus post longam noctem luci redditum, ad iv. Id. Oct. memoriam ipsius anniversaria gratulatione instituit venerari. Et comittatur publicos honores priuata familie vnius alacritas, quæ suum nomen ad Monam non dubitat referre, sic prohibendo. Cum ciuitatem in Parochias, ut dictum est, Pontifex diuinus ille describeret, magnam ipsi fuisse curam atque solitudinem, uti proprium & separatum unaquaque Parochia templum haberet, quam solitudinem, quia vir pius, unde ipsi originem ducant, adiuuetit, ulro datis ædibus, quæ vel opportunitate loci, vel amplitudine ac laxitate commodum extruendo templo spatium præberent, ideo concessum eius hominis generi ac stirpi, ut cognomentum obtinerent ex eius nomine Sancti, cui ædes illa consecraretur. Ea principi Apostolorum consecrata & dicata, largitoris nepotes à Basilica Petri appellari coepos esse; inde manere sibi vetustam appellationem, parente & authore Mona, qui familie pietatem hoc munere sit remuneratus. Nec minor circa Monæ ipsius originem am-

M. bitus

bitus & gloria Burrę genti. Est ea gens Mediolani, litteris & armis antiquitus inter primas: nōmen ex Butro amne qui Astensem agrum interfluit, creditur accepisse: Lapidés & monumenta Christi natalibus antiquiorem esse testantur. Opes ei, fuerant magnae & immensum auctæ donec solita calamitate dissidio que carpetetur vna moles in plura membra. Hæc igitur in multas hodie discrete familias, & propagata gens asserit atque vindicat sibi totum Monam haud magis certo cognationis iure, quam quo prisca, & extra memoriam omnem posita, maiorum nomina, clarissimæ quæque domus vindicant item ac tuentur. Non tamen desunt argumenta Burris, è quibus illud ego minimè fuerim adspetnatus. Curia picta non obscuri nominis pagus est in agro Mediolanensi: corrupta & contracta, ut assolet voce, Corbetam hodie vulgus appellat. Is pagus antiqua sedes & possessio gentis, nobilem habet ædem Diuo Victori sacrâ addito Canonicorum ordine, adsignatis ad cultum agris, constante fama, Monam eos agros & ea monumenta constituisse de suo patrimonio ac censu. Cùm igitur in eos agros, & in ea sacerdotia gentile ius obtineat Butrum nomen, cur non & è Burrorum gente Monam fuisse conditorem assentiamur? Sed hæc, & alia, vt cunque tandem accepta fuerint, in exiguo ponam discrimine. Certè monstrari domum oportuit, quam fuisse tantæ sanctitatis altricem crederemus, idque porrò cum cura & fide facturi deinceps sumus, vt pontificum incunabula paternasq; domos, & nostrates quasi vultus ostendamus vrbi.

Non.

Non enim profectò grata veterum annalium memoriæ fuit erga familias ipsas, quæ culere nobis hæc decora, & quarum est lobole perfectum, ne indigeret externæ opis Ecclesia, neue felicius alibi, quam in suo ipsius gremio pastores inueniret. Illustrum animalium procreatrices domos, & stirpes ipsas quæ sanctorum numerum auxere, atque peperere salutem urbi, transmisere silentio, idque probrum & ea culpa plerosque rerum scriptores habet. Defuncto Mona, Maternus Ecclesiæ Mediolanensi non sine miraculo Pontifex est datus. Annales alij Monæ Miroclem subiecere, isque per Ecclesiæ tabulas, & monumenta inueterauit ordo. Sed nos ad liquidum exacta, & certissima temporum suppuratione, quæ non potest fallere, ducimur, ac regimur. Et quoniam audaciæ videtur esse præcipitis, publico iam consensu receptas tabulas infirmare velle, rationem ipsam, quæ nimirum est omni potior autoritate proponemus, atque rem totam statuemus velut in clarissima luce. Iamprimum igitur satis constat, Romanam synodum habitam fuisse anno salutis nostræ tertiodecimo supra trecentesimum, eaque res omnipium, & litterarum, & hominum fama comprobata est & recepta. Interfuit huic Sinodo Mirocles, exatque nomen illius inter cætera Patrum nomina, qui scribendo asserere. Non potuit autem interesse, siquidem anno ducentesimo sexagesimo septimo factus Episcopus duos tantum & viginti vixit annos in eius vigilie munere. Quod si quis ita producere velit Merocli Pontificatus annos, ut in Romani Concilij tempus

M 2 ex-

extendat, tot utique corradendi cæteris, atque conferendi in ipsum erunt anni, quot sanè non recipiat pontificalis & iusta iam ætas. Ne illud quidem simile sit vero, ut tandem vacua fuerit Ecclesia, quantum spatij desit ad hæc interualla temporum explenda, & extrahenda in tabularum eiusmodi testimonium, & authoritatem. Atque ut vanæ sint hæc rationes, quibus utique confutandis haud facile inueniri exitus possit; illa erit instar omnium, quod regnante ac sequente Maximiano, cæsi pro Christi fide fidelis, Carpophorus, & Nabor, & Felix, & Victor, communicauere consilia cum Materno, isque manum eam amplexus est caritate, ac officio, & fauore. Maternus igitur non Mirocles incidit in hæc tempora, & huic assentiri successioni ac ordini par fuerit faciles animos, & aduersus Historiæ fidem, atque tot veritatis argumenta minime contumaces. Neque vero in hisce tanum Mirocle, ac Materno lapsi sunt, & errauere Petrus Galeinius, & Obuphrius Panuinius docti homines alioqui, & honoris causa nominandi; sed amissi hinc, & vcluti de manibus excidente filo, ad Ambrosium usque cæcis ambagibus inuoluuntur, zotamque temporum & rerum seriem interuerunt. Et nos, quandoquidem iam semel ausi sumus opponere nostras rationes hominibus eiusmodi; petemus ab illis, in quorum manus hæc nostra cura peruenient, ut faucent æquis animis, etiam cum pari fiducia, & cupidine veri, cætera deinceps menda tollimus. Cum igitur extincto Mona, neque daretur Episcopus à Pontifice maximo, neque in Clero Mediolanensi

lanensi quisquam muneri promptius ethineret, anxi demum ea solitudine ac orbitate Patres in Cursam dic dicta conuenere, ibique de Pontifice creando cōmuniter instituerunt agitare consilia. Sed ita res tulit, ut sine exitu conuentus ille dismitteretur, dum eorum, quos nominatio destinabat, alij modestia, plures metu ac trepidatione cunctantur. Qūm eo die modestis animis re infecta discessissent, aliquanto post iterum conueniunt. Eo conuentu fama est, grandēnum hominem notum fama sanctitatis & prudentiæ, dixisse monitum se cælesti voce per quietem, ut quærente pastorem populo Maternum indicaret. Fortè non longe inde Maternus ipse aberat. Quare fit ad eum concursus, & statim in Pontificia sedē collocaatur. Erat is ciuitate Mediolanensis, & nobilem in Ecclesia locum obtinuerat, dignitatis vocabulo Prīmicerius appellatus. Nec minus amabilitate morum & suavitate nostrabatur, vt quæunque incederet, nomini similem, ac verè Maternum appellarent. Quo tempore ad Ecclesiæ gubernacula est vocatus, Gallus imperitabat. Is, quia neque mutari superstitionem volebat, in qua natus ac educatus foret, & Materni virtutis admiratione mouebatur tamen, vt aliqua ex parte Christi disciplinam admitteret, međio edicto numerum finiuit, quo ne plures Materno habere discipulos liceret. Ita redactus in angustias animus ille, qui diuulgandi Euangeli⁹ cupiditatem orbis vniuersi finibus terminatam atq; circumscriptam haberet, ijs terminis & ea finitio[n]e graditer admodum angebat. Sed spernenti legem ini-

quam,

quam, & veluti cancellos egredienti, graue periculum ex altera parte propositum erat, ne, si per eam causam impetas irritata, Christianæ rei violentas manus admoisset, nutantem adhuc eam & vacillantem ageret in præceps. Per hunc modum vinebat dolorem Episcopus, liberumq; campum & meliora tempora solitus exspectabat. Usq; in Valentiniani principatum angustiae durauerunt, Valentiniano regnante dilatatae, permisumq; ut Christiana sacra suscipere, ac profiteri cuilibet impune ac liberum esset. Namque Valentinianus, praterquam quod ingenio mansuetus erat ac probus, metu quoq; subigebatur viare Christianam sinceritatem suis itineribus, dum reputatus atroces eorum, qui per tormenta & neces obstatissent. Postea is quoque ad superiorum amentiam est redactus, cum Magus cum quidam, vii fama est, infatuasset, nec deinde melior est habitus, quam illi antecedentes fuissent. Sequitur inde aliquot interiectis Maximianus Herculeus, qui non Galli temperamentum, non Valeriani mutationem ac varietatem, sed ipsius Decij rabiem imitatus, ut orbe toto, sic etiam Mediolani Christianos omneis perpetuo tenore crudelitatis adflicxit. Primum facinus, quo Mediolanensem Ecclesiam concuteret, illud fuit, cum urbem eam ingressus apparata superbissimo, edixit omnibus locis capitali pena proposita, ut quicunq; Christianum aliquem nosset, sisteret ad tribunal, noxiuamq; caput accusaret. Addita probra & contumeliaz, quibus infirmiores animi commoueri scilicet posseant. Igit profana colluuius, igit sceleratum genus, inui-

inuisum dijs hominibusq; & honorum omnium oculos liberarent. Ab eo edicto multi mortaleis ytriusque sexus occidione sunt occisi. Nam quicunque sacram adem iniret, vel alio quomodo se Christi cultorem proderet, statim accusator, statim carnifex aderat, & quamlibet exiguum ac leue pietatis argumentum atrocissima poena sequebatur. Ut verò Cæsar ipse in Equestri circo magnifica sella consedit, & cinctus latera cohortibus armatis, ad principes ciuitatis est concionatus de Numine Deorum violato per Christianos, de calamitatibus ob eam rem publice ac priuatim acceptis, de clade & ruina, quæ rebus immingeret, nisi ei malo quam primum obuiam ieretur, tunc scilicet furialis, & raro antea spectata crudelitas urbem est peruagata. Nam postquam lati de more vocibus acclamauerent forti, & felici, & victori, & Augusto, discurrunt in suas quisq; domos veluti amenteis & lymphati, nec solum teat quemquam sensus humanitatis, quominus Imperatori saepissimo gratificari suum ipse sanguinem cupiat. Cadit ictus parentis filius, nec filio violare patrem est horror; fraterna vincilla, jugale nomen, affines & cognati, non iam sunt animorum vincula, sed matre cædis, & crudelitatis inuitamenta. Vbi diro & abominando pretio gratiam principis insani populares quæsiere, ac postquam sua viscera sanguinemque triumphauit veluti vicitrix amentia suggesti aliquam furor extremus, quæ velut accessio patriti facinoris esset. Proximi dies erant, quibus Christi vitam obitum Ecclesia recolit anniversatio luctu, i cum

Cæsar.

SUD



Cæsar idem ille promulgari edictum iubet, quo editio religiosissima templo conflagratur, & sacri libri quorunque erant, in unum congesti cumulum publicè sunt cremati. Ea nimis iniuria Christianos ad extremam penè desperationem adduxit. Hic igitur sub Materno status Ecclesie Mediolanensis fuit, cœsus ac funestus vniuersitate multitudini, & ipsi ante alios Episcopo, non solum ob dolorem, quem capiebat ex interitu suorum ac strage, verum etiam propria calamitate grauis ac turbulentus, dum inter munera pastoralis officij tundebatur ac pulsaretur. Ne tamen illi vita & spiritus ciperetur extremus, Ecclesia lux curam haud dubie gerens Deus prouidit. Nam quamvis in quotidiana popularium occisione dirus Imperator ipsum præcipue caput appeteret, non tamen interea defuere mites homines in aula, qui multitudinis innoxiae calamitatem ægrè ferrent, Maternique cibus fauerent ex occulto. Mombricius, quem Baroniūs sequi authorem non dubitat, etiam scribit ex impura illa domo, Christianos fuisse nonnullos, nec eos infimi ordinis & loci, sed qui partim conscientia principis arcanorum essent, partim per alia ministeria familiares & cari; quorum videlicet opera sit esse etum, ne difficillimo illo tempore pusillo gregi pastori ciperetur. Addit idem, aulicorum hominum plerosq; scribendis Martyrum casibus institisse, ut in quoq; plurimum diuinæ virtutis emulheret, quos deinde libros occultis lecis abderent, ne furor ille, qui pietatem opprimere esset conatus, etiam monumeta pictatis aboleret. Sed vetustas nimis, an alia

quæ-

quæpiam iniuria nobis eam memoriam inuidit, quā si haberemus, non ego veluti congeriem & aceruum, cælestium virorum exhiberem, sed quod in historia esse lucundissimum solet, personis eos, locis, temporibusque distinguerem, ut quemadmodum sua vnuſquisque palma donatus apud superos æuo sempiterno perficitur: ita separatum decus etiam in animis hominum, in memoria rerum, aliquo beneficio nostrarum litterarum obtinerent. Pauci tamen, qui hanc ignorationis humanæ cladem effugerunt, memorantur, quorum exitus explicabo. Victor natione Maurus Mediolani stipendia faciebat in ipsius Maximiani castris, ita ut Christi cultum nulla in re occultum haberet. Is accusatus atque in custodiam traditus, cùm in suscepta religione perstaret, inanesq; Deos auersaretur animo constanti, primò tentatur fame, quam in sextum usque diem, quibus negotiū datum erat, extendere. Septimò die productus ad Imperatorem, & iussus Idola venerati, constantiæ suæ gradum obtinebat, neque inde precibus, aut minis, aut vlla præmiorum pollicitatione mouebatur. Quare descensum ad verbena, quibus iterum atq; tertio per dierum interualla contusus, neque victus, insanam cohortem, miraculo roboris obstupefecit; nec tamen ideò temperauere, quominus diuino capitivim ultimam inferent. Extra urbem, in silvam, quę Vlmcę dicebatur, eductum, & securi percussum feris lauantum obiecere. Sed ex nimirum refugiebāt, & adeò non impressore dentem sacro corpori, ut etiam ad custodiam ipsius per septem dies excubarent.

N rent.

rent. Cognitum id spectatumque Materno Pontifici, qui cum eò venisset, feras duas, alteram iuxta caput, ad pedes alteram inuenit, quarum habitus & obtutus esset eiusmodi, ut ibi tanquam in vigilia & statione collocatae esse diuinitus viderentur. Illæ deinde reliquiae in Portianam translatae Basilicam, Victoris nomen superindidere, diciturque hodie Basilica D. Victoris ad corpus, discriminis causa, propter cognomines alias, quæ Mediolani diuersis postea temporibus ædificatae fuerunt. Martyris huius initia & exitum prout explicauimus, scriba publicus Maximianus nomine, litteris consignauit, quas quidem in litteras, siue hominis incuria, siue desribentium inde mendo ac errore pro Materno Episcopo Marinus irrepuit. Postea Baronius, & alij docti homines emendauere. In loco Martirij, quem hodie locum exigua cella monstrat, Philippi fuisse tunc hortos tradunt alij, neque tamen ea res pugnat, quominus ob arboris eius frequentiam Vlmea silua potuerit appellari. Claruere perdiu miraculis reliquie Martiris huius, & tantum valuit in exteris quoque terras didita fama, ut sibi patronum cum atque tutelarem pleraque gentes adoptarent. Volaterani caput ipsum à Calisto Pontifice Maximo sibi traditum iactant. Et Senenses cum præcipua religione colunt inter suæ urbis præsidia & firmamenta. Meminere Martiris inclyti plerique scriptores. Ennodius etiam saluti sibi fuisse testatur, cum in magna sua calamitate bona spei plenus ad ipsius tumulum accessisset. Victor sic finiuit. At Tidelis ex ijsdem castris, non sua

sua tantum, sed sociorum quoque gloria clarus, pa-
rem alia in sede gloriam est assecutus. Magna nobi-
litas huic, & maiorum bona facta, præcipuaque in-
ter Mediolanenses claritudo, siue decora domus, siue
quis proprias ipsius virtutes intueretur. Sed natuus
error, & hausta cum nutricis lacte gentilitas inherat
iuueni, & secutus aulam contraxerat inde solita vi-
tia & labes. Mox intravit animum Christianæ re-
ligionis amor & cupido, Expiatus à Materno sacro
fonte, & cælestia ab eodem mysteria edoctus, Cæ-
sarialis gratiam, & humanæ gloriæ tentamenta, &
quicquid cæci mortales concupiscunt, adsperratur
penitusque sese in Christum auertit. Præcipuum stu-
dium erat Neophyto visere frequenter ac iuuare Chri-
stianæ charitatis officijs eos, qui religionis accusati,
carcere & vinculis attinerentur. Ex eorum numero
Cassius quidam dira custodia cohibebat, vulgoque
sic omnes autumabant, tanto atrociore daturum es-
se pœnas quanto virtute ac natalibus, & apud ipsum
principem gratia potior ac prior ante accusationem
fuisset. Hunc ipsum & socios pedore ac fame, &
omnibus alijs exemplis custodes vrgbant, si quo pa-
cto possent cælestem eam virorum cohortem à susce-
pta religione deterrete. Gnarum id Fideli, neque di-
stulit quominus eximere captiuos imminentis periculo,
eosque inde educere in tutum conaretur. Assumptis
Carpophoro & Exanto qui consuetudine ac ministe-
rio, Cæsarialis familiares, cæterum intima religione ac
sensu Christi fideles erant; his igitur in partem glo-
riosi conatus assumptis, carceris custodes appellat, uti
N 2 sese

fese ad vincitos Christianos introducunt. Primò clausae erant aures, & negabatur. Instando demum, & virginando, & pollicendo, ac donando, & fortasse etiā, ut militares adhuc retinebant spiritus, minando, & increpando, peruicere, Fidelis, Carpophorus & Exanthus, ut admitterentur. Admissi demunt vincula, & vna cum ipsis egressu clandestino discedunt ex urbe, quacunque fors tulisset, petituri salutem & vitam. Ita fors tulit, ut Nouocomensi tendenteis regione, ad Siluulam (id loco nomen) peruenirent. Haud longè inde mortui hominis corpus, quod funebri pompa sepulcro inferebatur, obuium habuere. Nec mora. In feretrum obuersi iubent mortuum exsurgere confessim, atque Deum unum, cui deseruirent ipsi, qui que hoc iuberet, agnoscere ac venerari. Vix ea locuti diuini homines erant, cum exangui corpori spiritus vitales rediere, atque defixa miraculo tantæ rei multitudine, quæ funus ducebat, instituit repente concessionari de futura vita, ac docere quemadmodum nemo colendus adorandusque esset, præter eum, cuius beneficio ipse reuocatus foret. Hoc patrato miraculo, diuerentes è regio itinere, quod Nouocomum ducebat, fusis ad Deum precibus orabant, uti quæ foret expeditissima salutis via, hanc monstrare dignaretur, cum repente satellites affuere. Fidelis elabitur, cæteris iniecta raptim vincula, & quia mandata Cæsaris, omnemque Deorum mentionem adsperrabantur, percussæ in mortem ceruicces. Ea in sede postea Liutprandus Rex regio opere templum extruxit, ut inclitum Martirium cruore solum,

lum, atque consecratas illas glebas ostenderet pietati. Sic Exanthus & Carpophorus, & Cassius, & reliqui sodales ad Deum excessere. Mox & Fidelis ad caput lacus obtruncatur. Eius corpus à pijs hominibus eodem in loco tumulatum, quem facio cruce consperserat, postea Nouocomum, inde Aronam, ab Arona Mediolanum nostra memoria translatum fuit, atque in sui nominis æde collocatum, quam adem Iesuitæ sodales tueruntur. Arona est in Vorbani lacus littore contra veteris Angleriæ reliquias, & vestigia nobile municipium. Arcem habet inclitam operibus & situ; Borromæi Comites antiquitus tenent. Ibi sacra Martiris ossa post varios casus, mutataque solita varietate sedem, vetusta in cella quiescebat, cui vestigalia & magni pecuniae fructus attributi. Borromææ domus gentile sacerdotium. Cellam eam D. Carolus Borromæus ille contemptor humana rerum, inducta in vibem societate Iesu, cum attribueret ei societati, Sacerdotium simul ipsum adsignauit. Et illi cælestia pignora Mediolanum transtulere, ut honos fieret nouæ Dini Fidelis ædi, quæ perducta nunc ad fastigium, magnificientiam & opes honestissimi Ordinis testatur. Seruant tamen adhuc Aronenses antiqui decoris partem, ipsius Caroli munus. Senferat ille municipes angi, quod inclitæ martirum exfuiæ procul ab se tanquam ex iniisa superis terra tollerentur, ac fierent alienæ pietatis gloria. Ob id redonari ac restituì segmina pristinam in sedem iubet. De hisce Carpophoro & Fidelis socijsque aliter est apud alios, & sunt, qui rem totam

totam in hunc modum exsequantur. Cùm victo Gallorum exercitu, Maximianus dimitteret auxilia, & copias, vulgoque militares viri domos irent, substituisse Mediolani Carpophorum & Fidelem, conterraneos videlicet, ac præter vulgaris amicitiae vinculum, etiam christianaæ religionis arctissima societate coniunctos. Horum pia studia Materno cùm innotuisserunt, destinatos vtrumque Nouocomum Euangelij causa. statim id emanasse ad Cæsaris ipsius aures, qui videlicet excubaret in eam curam, ut omnia consilia, conatusq; sancti Pontificis exciperet. Igitur submissa gladiatorum cohorte, priusquam urbem ingredierentur, oppressos, atque ita pro Laurea pastorali Martyrij palmam inuenisse. Mombricius cætera concors narrationi superiori, discrepat in eo, quod Exanthum, relictis in silua socijs præcessisse explorabundum resert; interea Fidelem & Carpophorum obtruncatos. Addit quoque lanistarum in exsequenda nece trepidationem, adhibitasque preces obfirmatae Martirum constantiæ, uti Numinis Deorum agnoscerent potius, quam sauiendi sibi materiem darent. Inde nihil profectum, cùmque percussi diuini homines expirassent, secutum cæli fragorem cum tetro ac minaci fulgurum splendore; nunciata ea Maximiano, terroris in præsentia multum, nihil tamen sanæ mentis in posterum attulisse. Postò alia monumenta & libri sic habent. Cùm Seuerinus, Alexander, Licinius, & Cassius, & Secundus, Christianæ religionis accusati eodem omnis Ergastulo tenerentur, constantiam & pietatem corum fortè ad-

mi-

mirationi fuisse custodi carceris Sillano, sic, ut eam in omni sermone libenter prædicaret. Peruenisse inde famam ad Carpophorum & Fidelem, qui visendi studio ad eos profecti, ut excelsos & impauidos animos cognouerint, vltro fidem amplecti voluerint eam, quæ altrix & magistra tantæ virtutis esset. Ita statim, & hosce traductos ad Christum ab turpi Dæmonum seruitio, & illos exemptos vinculis & carceri fuisse diuinitus. Inde cum Nouocomum tenderent, reten-tos ab imperatorio satellitio, cruciatibus acerbissimis occubuisse. Sequuntur hosce Nabor & Felix, Mauri genus, instituto vitæ milites, nec exitu dispari. Quippe Mediolani cum ijsdem in castris haberentur, accusantur eodem criminè, & postquam torti grauiter equuleo, cæterisque cruciamentis inuicta perseuera-bant fide, Laudem inde Pompeiam adsportantur. Ibi securis impæcta collo, martiriumque est exple-tum. Sacra corpora Mediolanum retulit Sauina Ma-trona nobilis haud minus pietate in Deum, quam generis claritudine. Sita sunt in vetere Martirum cœ-meterio, quæ postea dicatam ipsis ædem Diui Fran-cisci nomen & honos occupauit. Eadem in æde con-dita seruantur Sauinæ ipsius ossa, quæ mulier obiit per id tempus insigni fine. Namque tota in Mar-tires diuinos obuersa, siue periclitantes inuisendo, & iuuando, siue iam extintos tumulando, cum id of-ficium Nabori & Felici persoluisset, incubans forte die quodam ei sepulcro, sublatis in cælum manibus expitauit, ita ut marronali quiete Martirum ipsorum haud dubie merita & nomen apud posteros æquaret.

Patria.

Patria illi Laus Pompeia, Trippina gens, & multa decora fuere, quæ peperit ipsa, quæve à maioribus accepit. Sed nos omissa iam Savina peregrina & hospite, tutelarem ciuemq; nostrum exsequemur, quem hoc tempore diri cruciatus gloria cælestibus aggregatum recoluit omnis ætas inter præcipua decora urbis Mediolani. Sebastianus is fuit patre genitus homine Gallo quem ciuitate Narbonensem perhibent. Sed propria mariti morte vidua relicta mater Mediolani sua in patria filium unicum educavit, ibiq; est habitus ad puberem ætatem. Postquam adoleuit, ardens rei militaris cupidine, eam vitæ formam est secutus eventu felici. Siquidem cum multa egregia facinora fecisset, queis accresceret quotidie fama fortitudinis & prudentiae præfectus primæ cohortis appellatur à Cæsare, quæ splendida dignitas erat, & ob magna merita magnasq; virtutes clarissimo cuiq; demandabatur. Eum honoris titulum Sebastianus adeptus benigne cum omnibus ac liberaliter agendo, simul obsequio erga principem ac dexteritate breui perfecit, ut neq; Maximiano gravior ex aula quisquam, neq; apud milites esset. Vulgo patrem appellabant, & quacunq; incederet, id nomen audiebat. Christi fidem & disciplinam adamauerat ille quidem principiò statim, neq; diuersa erat consuetudo & vita. Sed quia periculum erat, ne si res ad Maximianum emanaret, per eam offensionem arceretur quotidiano Martirium congiessu, eaq; res Christianæ rei detrimentum afferret, minusq; multi deinceps ipsius officijs adiuuari possent; ideo quanta maxima poterat

rat cautione & arte inter militares & aulicos homines agebat. Ea porro dissimulatio, mirum quantas ipsi daret opportunitates, ut Christi causam in summa rerum iniquitate protegeret ac tueretur. Ante omnia salutaris erat, firmandis & animandis hominibus, qui Catholicam religionem amplexi, constanter illi quidem & alacritate mira sese torquendos offerebant; cæterum inter ipsa tormenta, frangebantur animis, atque deteriorem ad partem inclinabant. In hosce nimirum Sebastianus excubabat, cumque traherentur in carnificinam, ibat vna, dissimulanter obuersabatur, & ubi cerneret signa labantis animi, nutu, & hortatu, & ipsa venerandi ac sacri oris præsentia, fratres ad finem usque sustinebat. Ac eo quidem in genere quid aliquando acciderit, memorabo. Marcellianus & Matcus ex præcipua Romana nobilitate, præstituto triginta dierum spatio, intra quam diem, dogma Catholicum, cuius accusati fuerant, abdicarent, aut nota iam & solenni pœnatum varietate necarentur, obfirmarant animos, & haud dubie breuissimæ lucis usaram, & caduca bona, semipiternæ viræ post habebant. Itaque iam exeunte die vulgatur vrbe tota rumor, Marcelliano & Marco destinatum esse mori; non preces aut minas, non datum pœnitentiæ spatium apud illos animos valuisse. Et coniunx, & liberi, & parentes erant utriq; magnisq; præterea domibus annexi totam pene ciuitatem amplectebantur. Facto velut agmine simul omnes & assumpcio proximo quoq; ac familiarissimo, vadunt ad custodias, & uti licet colloqui cum suis

O petunt.

petunt. Facile impetravere . Ingressi lacrimis obortis , vbi constrictos videre clarissimos viros , & vbi sonitus catenarum increpuit , mœstum aliquandiu silentium obtinuere ; neque vinclis , aut sermoni constabat lingua , aut siccii erant oculi , vbi parentes & uxores , & cara pignora , & propè sedibus excitam suam vterque domum adspexere . Mox fandi facultas fuit ; & ipsi primùm senes interrogant , ecquæ sit illa sententia , qua se se , & domum , & genus , & ipsam dedecorare patriam velint : breuiter ad ea Marcellianus & Marcus ; pro Christo pereundum esse , neque id infamiam , aut dedecus arbitrari . Orto deinde sermone , multisq; verbis in hanc illamve partem habitis , reliqua cohors paulatim , vt cuique desiderium , & animus , & dolor , accedunt , proles , uxores , amici , consanguinei , tantumq; valuere , tot simul in vnum coaceruata vincula societatis humanæ , vti respicerent scipios , atque cuperent viuere . Itaq; non dubia iam animorum inclinatione cogitabant , de placando Cæsare , luceq; repetenda . Sensit hoc instinctu diuino Sebastianus ; an verò aliquis monuit ? Certè spredo periculo , & immemor artis , aduolat eò , gemens ipse secum , si clarissimi viri certam , & oblatam è cælo Martirij gloriam è manibus omitterent . Vbi conspectus est , ipso statim vultu & oculorum ardore , & quadam occulta vi commouit nuntanteis animos , & trepidi cælestis linguæ statim expectabant verbera . Ut verò ille orationem huiusmodi est ingressus ; vbi Christianum robur , vbi cælestis vigor , vbi nam essent illa tot mutuis communicata

nicata sermonibus meditamenta mortis , & Martirij;
tunc enim uero Marcellianus , & Marcus ingentibus
animis valere mollia hortamina , valere molles ani-
mos iubent ; neque ullam postea vocem admisere ,
quam , aut miserando spes suas irritas , præcipitemq;
senectam , vterq; patens , aut vxor obijcienda solitu-
dine , ac viduitate , aut tenera proles natuuo illo , ac
simplici , sed efficace nimium ac violento conatu po-
tuerunt admouere . Ita illos quidem parata diuini-
tus iam manebat palma; Sebastianus autem haud am-
biguam eiusdem gloriæ prærogatiuam ab eo collo-
quio mirabiliter tulit : Namque cum dicendi finem
fecisset , emicuit cælesti luce circumfusus , interq; la-
cis eius radios volitantes Angeli , candoris eximij tu-
nicam iniecere . Simul alia species apparuit , quæ mi-
raculum illud augeret . Iuuenis fuit , rara , & nunqua-
antea spectata mortalibus oculis forma , & dignita-
te . Is visus amplecti Sebastianum , hæc verba pro-
nunciauit . Tu sœulis innumerabilibus eris mecum .
Series inde miraculorum est secuta . Nicostratus erat
quidam apud Romanos veluti præfectus iuris , præ-
cipua erga Cæsarem ipsum fide , & ea commenda-
tione splendidæ dignationis locum assecutus . Huius
vxor longa sex annorum valetudine ac tabe , linguæ
vsum amiserat ; integræ tamen aures erant , & cum
cloqui nihil posset , audiebat omnia . Ea mulier visa
luce , quæ circumfulsat Sebastianum , & auditio ser-
mone , quo Marcellianum & Marcum (in illa forte
domo custodiebantur) increparat ; exarsit repente ani-
mo , tacitoq; sensu , Christum ut sequeretur . Itaque

O 2 mani-

manibus, & oculis, & incerta nutuum significatio
ne declarare cupidinem eam cœpit; simul hortari ac
monere quorquot aderant, ne tam salutarem piam-
que doctrinam amplecti cunctarentur. Ipsa certe non
est cunctata quominus ad Sebastiani sese pedes abij-
ceret, eademque pia gesticulatione fateretur animi
motum, & conceptam repente flammam, ac æternæ
salutis amorem. Obnütuerat, sicuti demonstratum
est, longa tabe mulier, ac in linguae subsidium quan-
tocunque poterat motu corporis, & ad sensus expri-
mendos accommodata inflexione capitis & oris uti-
batur. Eam nobilis Matronæ calamitatem Sebastianus,
euincendis in Christi fidem etiam aliorum ani-
mis esse opportunam putauit. Conuersus ad eos, qui
frequenteis aderant, manu poscit silentium ac dein-
de sic infit. Si ego verum vnicumq; Numen adoro,
si vera & sancta de hoc ipso Nume sum locutus;
precor ab hoc Nume Deoque Opt. Maximo, &
Christo liberatore generis humani, vt mulieris hu-
iusce linguam soluat, & in ipsa vetus Zachariae mi-
raculum renouetur. Hæc dixit erecta penitus in Deū
mente Sebastianus, & simul in crucis figuram ad mu-
tum illud ac clingue os admoto dígito, diuini bene-
ficij vim exspectabat. Neque irrita spes fuit. Solu-
to confessim ore mulier prosequitur ipsum Sebastianum
acclamacione læta; Beatum appellat, & ipsum,
& quicunq; ipsius dictis, ac prædicationi fidem ad-
hiberet. Spectante & audiente Nicostrato totum hoc
acciderat. Itaque professus is quoque repente se te-
Christianum, ipsos quos habebat in custodia Mar-
cellianum

cellianum & Marcum soluit vltro, & si abire incolumes velint, potestatem facit. Non iam erat fratribus hisce mollis animus, qualem inuenierat prima illa parentum atque propinquorum tentatio. Constante amplexi martirium, & abruptis vita inuitamentis eminebant in cælum, ac inter atrocissima tormenta fundere sanguinem gestiebant. Itaq; fortibus oculis abnuere fugam, & in ijsdem ad finem usque vinculis perseverare sibi certum esse responderunt. Ea constantia & celsitudine animi numerosum commovererat secum agmen; cuius principes fuere Tranquillus & Marsia parentes, & tota deinde domus, caputa, in viuersum ad sexaginta, quos omnes Policarpo Sacerdoti cœlesti lauacro Sebastianus expiandos dedidit, & cum expiarentur, noua de cælo miraculæ mortalius mentibus affulsero. Namque inueteratos abscessus & apostemata, & labes atque calamitates alias humani corporis, vna cum animi sorribus aqua illa lustralis abstersit. Inde ad Cromatiū quoq; Praefectum Vrbis manauit fama, & ille milles & quadringentos traxit ingenti deorum inanum strage. Tunc enim uero strata Martirum corporibus Roma, cruore manauit innoxio, veluti cum circumuenti hostes ab irato victore ceduntur. Aliorum tormenta, & casus alij scriptores memoriae; nec esse videntur huius instituti. Sebastianus urbis nostræ ciuis in hunc ferè modum occubuit. Satiatus iam cæde Princeps, ubi lictores, notum fama virtutis, & extremo facinore inuenem in conspectum eduxere; dicitur prima statim quāvis immitis animi propensione,

sione, consilium agitasse illud ut ipsum conseruaret. Multa munera, quæ fuerant in eum congesta diuinis, multa dignitas oris, & decor, & gratia, & super omnia spectatum animi robur in ea ipsa re, qua meruerat iras, veluti fræna iniiciebant furori, auebatq; monstrum illud ignoscere. Itaq; molliusculæ appellatum interrogat, posset ne venerari Deos, & in suæ salutis meditamenta consentire. Cùm Sebastianus ad ea, Deum vnum, & vnam ex Deo salutem opponeret; rursus contraria magnifica verbis, re inania Cæsar orditur. Postquam his quoq; confutatis manebat in sua sententia vir Mediolanensis, & aduersus principis Maiestatem, iamq; mutatos ira vultus, inconcussa perseverabat mente; dimittitur cum atroci mandato. Statueretur contumacissimus mortaliū in maxime conspicua & aperta castrorum regione, pegma in id ipsum erigeretur, deinde circūfusi milites tela & sagittas in corpus illud pro se quisque collinearent, donec rebelli ac desertori vitæ finis fieret. Contorsere sagitarum examina qui militum in id forte ministerium electi vitare imperiū haud potuerant. Cæteros, viri caritas ad misericordiam inflectebat; & erant qui obuiam irent, nisi telorum statim immissus imber serum auxilium fecisset. Ita Sebastianus pro mortuo relictus ipso in pegmate, Irene Castuli Martiris vxor erat eximia religione ac pietate. Hæc insecuræ noctis silentio, cùm vndiq; solitudo & quies esset, egressa in campum eo consilio, vt Sebastiani corpus inde quacunque posset ope detractum adsportaret, ac sepeliret, ubi soluere

vin-

vincula & moliri cadauer institit, latentem in eo vitam sensit ex tenui palpitatione, siue aliqua Sebastiani vox fuit. Confusa inde mulier gaudio simul & metu, & solicitudine, uti cælestis animæ reliquias fouveret, ac ne corporis iactatione fugeret vita, quam lenissime in tabula collocatum vocata in partem oneris ancilla deportauit in suas ædes. Ibi non tam humanis remedijs, quam ope diuina repente integer Sebastianus extitit, atque post aliquot dies obtulit sese Principi, sevère increpans Christianæ religionis hostem, innoxij sanguinis auidum, & alia, que si eum à funestissima Christiani nominis insectatione deterret. Ille stupore defixus, quod & vocem, & vultum, & habitum nosset eius, quem absque dubio mortuum crediderat, & ita Centuriones renunciarat, cum admiratione metum alternabat. Mox insita crudelitas, & ille inhumanus animus insurrexit. Cædi quam violentissime Sebastianum, ita ut inter verbena & ictus expiret, mandat. Postquam expirauit, abstruditur cadauer in cloacam, ne scilicet, auferant sepeliantve Christiani. Ea erat etiam in mortuos diritas & sauitia. Sed fraudari supremo honore tanti nominis Martirem Deus ipse non est passus. Nocturnæ quietis admonitu reperit nobilis Matrona corpus, & humauit, quæ Martiris ipsius ædes inter precipua septem viribus templaque hodie visitur ac frequen-tatur. Sebastiani facies opere musiuo ac vetustissimo Romæ item est in Æde, quæ Diui Petri vincula præfert ac repræsentat. Ea facies, barba & mento, confirmata iam ætate virum, non impuberem Sebastianum

num ostendit, qualem vulgo nunc pingunt. Stat eadē in Aede propria ara Sebastiano iam inde ab saeuissimæ pestis tempore, quæ corripuerat urbem Romam impetu tato, ut finem adesse rebus appareret. Passim cadebant omnis ætas, omnis ordo, sexus vterque, neque leuamenta, vel remedia vlla reperiebantur ingrauescenti malo; et auxit publicum terrorem dira species. Angeli duo per urbem incedere visi, cælestis alter & ore puro ac fulgido; alter ab inferis obscurus & horridus, & palmipes, & corniger. Vadebant autem hoc ordine, & actu. Praebat bonus, deterior sequebatur; ille iubentis habitu, hic ad exsequendum imperium paratus, & manu clauam tenebat. Ea nimirum clava identidem ad nutum imperantis pulsabat ædiū fores, & quoties feralis dextera geminasset iactus, totidem inde capita deuouebantur Orco, & contactæ funestos in cumulos ruebant. Tunc enim uero fessi ciues præsentibus instantibusque malis, attonitiq[ue], simul euentu quotidiano, simul imagine talis portenti, desperata humana ope diuinam implorauere; nec frustra. Monitus cælesti voce quidam, iret, atque nuntiatet vibis principi, non ante finem fore malo, quam Sebastiano ara foret excitata, iussu fecit, & nuntiauit. Posita confestim ara, Martir inuocatus, & abiit pestilentia. Neque ambigam, ego, quin eadem origo fuerit Templi, quod Mediolani Ticinensi regione positum huic Martiri, rudi & antiquo opere superior ætas vedit. Eius Templi mutata facies est Sancti Caroli Borromæi Cardinalis voto, cum populan-

te urbem Mediolanum peste ac lue , Romani casus
memor Antistes , in pari clade subsidium idem pete-
ret . Votum vnā ciues nuncupauerū , publicoq; sum-
ptu quæ nunc visitur ædes in area templi veteris est
ædificata . Sed hæc & alia temporis eius memoran-
di locus erit , ne scilicet abierim instituto , quo re-
ferre suum quæque in annum destinamus . Sebastia-
nus hunc Romæ primò finem postea cultum , hos
etiam Mediolani sua in patria nactus honores fuit .
Modica interim quies obtigerat Christianæ rei , cre-
do quia Cæsares impliciti bellis , & curis , quæ pro-
pius vrerent , haud magnopere per id tempus excu-
bare possent in Ecclesiæ damna perniciemque . Mox
rediere ad vetera nouoque turbine sacræ res inuol-
uuntur . Religionis clades iterum praua fuit te-
ligio , & ex Deorum cultu detestabiles iniuriæ ve-
rum in Deum extitere . Nam cùm bene gesta re do-
mi forisque debellatis hostibus , & aucto Imperio , Ma-
ximianus & Diocletianus , honorem habendum esse
superis decreuissent , hunc videlicet fore cumulum
honorum atque pictatis existimauere , si penitus ad
Christianos insestandos verterentur . Eo furore &
amentia tentatam antea quoque viam ingressi huius-
modi edictum promulgauere . Qui Christiana sacra
faxint , maiestatis tenentor , & capite pœnas danto .
Qui suscepint ea sacra , siue serui , siue liberi , infa-
mes sunt , ius omne libertatis amittunto ; si com-
prehensi fuerint , necantur . Urbium Magistratus , &
Præfecti omnis liberos , omnia monumenta profanæ
religionis publicè concremanto . Ab hoc rursus edi-

Pto

Et tanta Christianorum est facta strages, ut non toto mense cæsa sint ad septemdecim millia, cui numero quotam vrbs nostra partem contulerit, haud traditur certum; præcipuam tamen fuisse coniectare licet. Sed ita Deo placitum fuit, ut quanto funestioribus edictis oppimeretur Ecclesia, & quanto plus Christiani sanguinis haurirent Cæsares, tanto magis glisceret pietas, atque tanto plures cupidine ac studio beatissimi cætus exardescerent. Periere hac ultima duorum Cæsarum violentia, & sua corpora nobis reliquere præter alios, Maximus, Cantius, Cantianus, & Cantianilla, Quirinus, Pelagia, Christina, gloriosum agmen, & suo quisque fine, præter cælestia bona, memoriam apud posteros adepti. Separatim omnes memorabuntur, non secus atque si ciues fuissent eius vrbis, quam suis postea reliquijs domicilium ac sedem esse voluerunt. Scilicet est hoc veluti cælesti commercium, quo vicissim retrò committant, ius ciuitatis, quo iure nos illos acquisiuimus, & ciuium tutela, qua illi nos adoptauere. Maximus ducat agmen, quippe cuius non modò seruantur hic ossa; sed Martyrij quoque spectaculum hic fuit. Legionis Thebanae miles, & Alexandri contubernalis illius, qui Bergomi cecidit, cum Mediolanum forte venisset, ibique Christum, & sermone profiteretur, & vita, quadruplatores in se conuertit, qui soleribus animis in singulorum instituta & mores excubabant. Accusatus infando velut criminе vocatur in iudicium, & cum delationem ipse comprobasset affirmatione constanti, neque denunciata morte ac in-

ten-

tentato ferro quicquam mutaret, post varia tormentorum ingenia, ultimo securis ictu conficitur. Mortaleis huius exsuumias D. Carolus Borromaeus nostra memoria cum inuenisset, transtulit in templum maximum, ibique magnifice collocatae inter cetera urbis praesidia in hunc diem adseruantur. Maximi memoriam & martirium hactenus tradunt illae litterae, quas sequimur. Cantius, Cantianus, & Cantianilla Romanæ familiæ soboles paullò fufus memrorantur in hunc modū. Præcipua nobilitas adolescentialis, & pares diuinitæ, forma quoq; & quæ bona corporis appellat vita, ceteræ congruebant claritudini ac fortunæ. Parentes mature decessere. Ea res causa simul & materia magnæ pietatis fuit. Nam simul atque circumspexere suam orbitatem, humanæ vitæ lubricum, ætatis pericula, & ex diuerso, fortunas & opulentiam inuitamenta peccandi; consensere omneis, ut abdicato patrimonio, & in pauperes diuiso, Christum authorem vitæ perennis, fontem omnium bonorum sequerentur. Hoc inter se communicato consilio, nulla interposita mora rem exsequuntur ipsam, & postquam ex vniuersa sua opulentia benignè pauperibus fecere, Aquileiam concedunt. Ibi Christianis institutis, & genere vitæ, fama simul, & statim vulgata magnæ domus celebritate Præfectum eius urbis aduertere. Ille haud cunctanter excitos obiurgat, quasi generis decora, parentum manes, atque tot in ipsis à natura simul, & fortuna cumulata munera deformarent, ac irent perditum. Conuersa inde ad blanditias oratione, si repeteat pristinæ fortunæ cul-

P 2 tum

tum velint, præcipuum apud Cæsarem gratiæ locū, & quæ alia fermè amaret ætas, proponit. Non expetebant aliena, & incerta, qui sua & præsentia contempserant. Itaque respondent animis ijsdem, quibus, & patriam, & patrimonium, & vniuersam sc̄culi vanitatem reliquissent. In Christo sibi diuitias & vitam, & vota simul & gaudia; datam ei fidem, morituros antequam violare animum inducant. Lex erat carminis mitissimi. Magistratus & urbium præfecti, ciues Romanos quocunque accusatos crimine, inconsulto Cæsare ne violanto. Ea lex obstabat per moto statim in iram Præfecto, ne statim in adolescentium capita desæuiret. Nuntiat quanta maxima potest celeritate rem Mediolanum, & quid se facere velit Cæsar, exquirit. Responsum est; plebet capite, siquidem alia ratione traduci non possent ad numina Deorum adoranda. Tentauerant interea fugam adolescentes, ac ex ea retracti vnâ cum Educatore Proto, ceruices dedere. dicuntur manasse pro cruento riuuli lactis vberitim, eaque fama sequitur hos martires. Corpora translata Mediolanum & in Basilica Dionisiana collocata posterior ætas transtulit inde in Templum maximum, ubi anniuersario precum officio recoluntur pridie Kal. Iulij, totaq; pietas Ambrosiana sacris reliquijs hunc honorem persoluit. Par in Quirinum religio. Is in Illirico pastor animarum, cum non modò ipse totam Romanæ superstitionis vanitatem adspernaretur; sed alios quoque inde conaretur abducere, comprehensus, & ad collum applicato prægrandi molari lapide præceps in flumen.

Sa-

Sabarim deiectus, tanquam nullo degrauante ponde-
re fluitabat, salutaribusque verbis toto prætentam lit-
tore turbam alloquebatur. Mox pertæsus moras, &
illo Martitij genere delectatus precatur à Deo, ut
sineret mergi, laxaretque saxo vincula & habenas.
Ita labitur ad ima, & post paullò supernatauit exa-
nimis. Ossa, & quantum æui tabes reliquum fecerat
è sacro corpore, vastante postea Pannoniam uniuer-
sam barbaro, delata Romam, Angisbertus Episcopus
inde Mediolanum auexit. Quiescunt in Æde Sancti
Martiris Vincentij, cui ab circumiecto prato cogni-
men manet. Pelagiæ caput est in Templo Maximo,
virginis inclytæ, quæ veluti facta Mediolanensis ex
Antiochena, celebratur Ambrosij litteris, ibique di-
gnum eximiæ virtuti præconium extat. Adamauerat
huius formam & modestiam, cuiuspiam libido, quam
in arcto deprehensa puella fortè non poterat elucta-
ri, iamq; erant flagitiosa verba, & prænuntiæ scele-
ris blanditiæ, nondum tamen scelus ipsum. Id vti
vitaret, dedit sese præcipitem ex alto loco, & im-
pudicum illum animum pudore simul, & admiratio-
ne confudit. Non minus pretiosum ac nobile ca-
put virginis alterius ex horum temporum strage ga-
zam hanc auxit Mediolanensem, quam cum aliqua
iam fortasse legentium satietate, cæterum ingenti no-
stra lætitia & magno piæ voluptatis fructu velut ex-
ponimus & dilatamus. Id Christinæ caput erat,
quæ rudibus annis, cùm domestica deorum simula-
cta comminuisset, pretiosamq; materiem insumpsis-
set in pios usus, irritauit eo non puerili facinore pa-
trem

trem Urbanum, & ille minime paterno animo væcordes in ipsam iras effudit. Quippe teneram & insontem adolescentulam cædit virgis, lacerat vncorum acumine, sui sanguinis carnifex, mergit flumine, & cum enatasset in columnis, grauissimo ac tetrosum suffitu conatur opprimere. Frustra omnia videlicet fure, cohibente vim cruciatum Angelo. Demum ex priuata carnificina deditur in publicam potestatē, & cum nihilo mitiores ibi animos inuenisset, post ignis & ferri varia & diuinitus irrita tormenta, convulsis demum ab sacro pectore mammis, finiuit. Hic erat igitur Ecclesiæ Catholicæ status, & sanctorum agmina diuersis è terris aspero & cruento sic itinere in Cælum ibant, adolescentuli, viri, matrone puellæ, cum Mediolani Pontifex Maternus ex tanta popularium strage seruatus munere diuino, quibus poterat modis afflictas Ecclesiæ suæ res tuebatur interea labantemq; fidem sustentabat, promta in Martires ope, & postquam ceciderant, ne corpora & reliquiae conflictarentur iniutijs, anxius vnice ac sollicitus. Ac eo quidem tempore sepulcra & tumuli, quales vulgo nunc usurpamus in Mediolanensis Ecclesiæ consuetudinem, primū venere. Nam cum Oldanios hortos campumq; totum illum huic olim officio dicatum, iam Martires innumeri, iam reliqua Christianorum multitudo faceret angustum, neque sufficeret illa sedes ultimæ sanctorum quieti; ex cogitauit Maternus ac instituit hunc ritum, ut fierent per omnia templo grandes cauernæ quadrati lapidis tegumento; illuc inferrentur, ut quisque quotidie, vi, vel

vel fato mortalitatem explesset. In varias quoque prouinciae partes excurrendo, sanasse fertur ac restituisse multa, quæ partim publica vastitas Ecclesiæ, partim priuata minorum ciuitatum solitudo in prauum ac barbarum ex recta Christi disciplina corrupisset ac dissoluisset. Derthonenses ante alios amissos Martiano, cùm omnia simul instituta & vestigia Christianæ religionis amisissent, isque paulatim populus ad pristinas tenebras, & antiqua gentium delitamenta relaberetur, opportuno Materni accessu sunt composti ac retenti, memorantque grato erga ipsum animo, quemadmodum emendato ac formato rerum statu discedens inde, Maliodorum præfecerit virbi, sapientiæ summum, & pari morum innocentia & candore. His alijsque pastoralibus curis irritata sauitia dominatus impotentissimi, trahitur Maternus in aulam, & impias adolere supplex aras iubetur. Ni faciat, exitium intentant. Ac ille quidem abnuere statim excelsus animo, venerabilis ore, vltroque cultum inanem, & ficta numina cœcasque mentes increpat. Sed non ideo tenuit, ut in mortem cederetur, obtorpuerant quodammodo carnifices animi manusque ad feriendum admiratione maiestatis. Itaq; dimittunt incolumem, nec ex eo tempore diu superstes fuit. Non defunt, qui in exilio mortuum scribant, cùm Cæsar eum ablegasset, atque adeò, stulto fastu & barbarica licentia rem non sui iuris ausus, pastoralem ei dignitatem abrogasset. Id magis quia non abhorret à vero, quam quod apud certissimos authores repererim, esse addendum putavi. Quamdiu

diu autē ille vixerit in suo munere, haud quidē au-
sim exacto affirmare numero propter variam in hoc
genere memoriam, & quia veteres magno ad id co-
natū nihil tamen extricauere. Numerant illi quidem
annos & definiunt autoritate sua; sed facile poter-
runt confutari ratione temporum, & rerum argumen-
tis, si cuiquam vacet. Mansit verò diu, neque hodie
penitus deleta est ex hominum mentibus illa de Ma-
terno fides, quasi vincit & captiuis pie ac religiose
vocatus adsit, & dicuntur multi mortales præsenti
eius ope liberati, cùm eam è vinculis implorassent.
Evidem quæ de sanctorum inuocatione & auxilio
memorantur, credere velim etiam sine argumentis
ac testimonijs; ubi verò ad pium animi sensum, ac
cedat authoritas exemplorum ac inueteratae famæ, cù-
stari adhuc, & vltra quicquam exquirere omnino ir-
religiosum putem. Hoc adeò dictum volui, quia in
magna hominum & ingeniorū varietate semper exo-
riri possunt impi curiosi, & miserè prudentes, qui
politico supercilio res diuinæ perpendant. Sed ma-
gna vtique inter scriptores dissensio est, hiccine Ma-
ternus Iulius appellatus fuerit, an verò simplici no-
mine Maternus tanium. Cæsar Baronius Cardinalis
ad priorem sententiam inclinat, conjecturæ illius ar-
gumento; quod cùm in Romana Synodo, quæ sub
Iulio I. celebrata est, Iulius Episcopus Mediolanen-
sis interfuisse dicatur, nec eius Iulij aliae vllæ memi-
nerint litteræ, valde consentaneum sit, appellatione
hominis fuisse distractam, ut ex Iulio Materno libri
Mediolancenses Maternum, Acta Romanæ Sinodi lu-
lium

lium retinerent. Nam si non id ita esset, haud dubie sequi, ut eius concilij fides vocari in dubium posset, quod fieri non oporteat propter sacrosanctam conciliorum autoritatem, quæ tanta semper fuerit, ut Ecclesiasticae historiae patres nullam potiorem rationem obseruarent extricandi quos quæque Ciuitas Episcopos habuisset, quam si nomina & memoriam inde repeterent. Addit idem, extat commentarium in Vaticano cum hac inscriptione IVLII FIRMICI MATERNI DE MISERIIS ET ERRORIBVS PROFANARVM RELIGIONVM AD CONSTANTIVM ET CONSTANTEM FRATRES. Ad eam videlicet inscriptionem quando congruant tempora, minime ambigendum videri, quin Iulius Firmicus Maternus idem sit omnino, quem nos unico nomine Maternum appellamus. Sed valde ego suspicor, errorē obiectum fuisse clarissimo viro, dum vasto nimirū operi summæque rei intentus obire suis oculis omnia, & varijs dispersa locis Ecclesiarum monumenta lustrare non potest. Quippe Iulium Episcopum tabulae nostræ veteres habent separatim, nec Iulium illum Firmicum Maternum, cuius liber extat, aut inscriptio ipsa, aut alia vlla memoria Episcopum numerat agnoscitve. Sub Materni Pontificis exitum, imperio quoque tam saeo finis fuit, cum vtricibus agitati furij, publicamque pertæsi lucem Maximianus & Diocletianus, vltro gubernacula rerum omisissent. Id accidit, cum partitis opibus, & diuiso terrarum orbe, hic ad Orientem Solem, ad Occidentem ille regnaret, sedensque Mediolani, magnificis operibus exornaret

vrbem,

urbem , quam crudelitate funestarat . Mœtia , & turres , & fana , & lauacra , & multiplici salienteis arte lymphas , quæc alia superbæ regum opes amant , præsidia & decora deliciasque adiecit urbi , simul &c è suo cognomento Herculeam appellauit . Ipsius quoque fertur institutum , ferrea corona , qua capita Cæsarum incinguntur cùm primùm id nomen eamque fortunam capessunt . Nec dubitant authores idonei , quin veteribus Angleriæ dominis dederit idem insignia , quæ adhuc visuntur inter Ambrosianæ ædis monumenta ; Herculem scilicet cum clava & Leone . Alijs porrò dijs alia templa , Herculii rotundam , & uno continuam orbe struxit ædem , quali forma & descriptione Romæ Pantheon durat . Circum eam quatuor multiplici contignatione turres discretæ paribus interuallis attollebantur : ingenteis colunæ propylæum cingebant , tantæ molis incolumes adhuc reliquiæ . Ipsa moles validis postea Christianorum rebus , & profligata gentium prauitate , in sacrum Laurentij nomen cooptata duravit sæculis , donec paullò ante hanc memoriam repente collaboretar . Hanc esse Laurentianæ ædis originem authores plurimi consentiunt , & ciues credidere ; discrepat aliquis argumen-
to non leui , quod scilicet cùm ex templi ruina vetustissimi lapides inspicerentur , crebra crucis imago sit inuenta . Ea res aduersatur communi famæ , quæ si falsa est , illud utique non dubitem adfirmare , quod & pronias ad fidem videtur . Quippe diruta Herculis æde , quam Maximianus posuerat , in eadem velli-
gia successisse Laurentij martiris ædem , & quia pro-
fana

fana vetus ædes in hemisphærij fastigata modum
fuerit, idèo retentam eam formam, vt suus honos
constaret antiquitati, sicut & nostra dein ætas, cùm
deciduum iterum monumentum excitaret, pristinam
imaginem est imitata. Sed huius Laurentianæ Basi-
licæ descriptionem & faciem, quomodo stet sublimis
conuexitate sua, quantæ religionis aras includat, pri-
uilegia quoque & cultum, & alia grata legentibus,
inseram, vbi locus, monebit. Postquam Maximia-
nus & Diocletianus vti dictum est, imperio depo-
sito, terrarum orbem exonerauere, non idèo pax fuit
Ecclesiasticæ rei, quam secuti principes Galerius, &
Maximinus, & Maxentius per interualla temporum
& spiramenta, pessum dedere, præcipua in Miroclem
ira, qui Materno defuncto, non minori constantia
& virtute Mediolanensem Ecclesiam administrabat.
Materno, Galesinus Orosium, Panuinius Eustorgium
subiecere. Nos miroclem in hac sede collocamus, non
temeritate aut impetu, sed magna illa, & nemini
spernenda ratione, quòd sub Milciade Pontifice ma-
ximo Romanæ Synodi pars hic ipse Merocles fuit.
Orosius autem obiit Arelatense concilium haud du-
bie posterius Romano. Ac Petri Galesinij quidem
ita sublatuſ error esto. Panuinio autem ignorantis to-
rum Orosium, & in ea præteritione sequenti Vatica-
ni codicis, ordinem, id ipsum licet opponere, quòd
inter huius Arelatenſis concilij Acta & Patres Orosij
nomen extat, caque res huic Pontifici suum honorem
affirmat testimonio satis euidenti. Rursus aliud in hoc
Pontifice, Galesinio mendum irrepsit. Miscet enim

Q. 2 ho.

hominem inter patres & acta Synodi alterius Are-
latensis, quæ quadragesimo fere anno post illius æta-
tem est habita, ibique non Orosium, sed Protasium
affuisse scribendo prompta cuilibet atque obuia mo-
numenta testantur. Merocles igitur Mediolani natus,
fuit inter principes vrbis commendatione nobilita-
tis, eaque illi communi consentu perhibetur sangu-
nis gloria. Huius generi ac familiæ Ticinensem Epi-
phanium longa per Focatiam matrem cognatione
fuisse adnexum accepimus. Sed non est vero consen-
taneum id quod nonnulli prodere sunt ausi. Quippe
Romam ad Felicem Epiphanij missu Meroclem iuif-
fe, cùmq; dextere legationem atque liberaliter obijf-
fer, captum Pontificem admiratione virtutis, præfe-
cisse ipsum Ecclesiæ Mediolanensi, quæ grauiter agi-
tata procellis tali rectore opus haberet. Id immane
quantum à recta temporum supputatione dissentiat.
Nam, & Epiphanius huic posterior æuo centum fere
annis fuit, & vixerat Felix aliquanto antea, quam Mer-
ocles nasceretur. Cæterum Romanæ Synodi, quæ Mer-
oclem exciuit, & tempus & occasio fese in hunc mo-
dum habuere. Agebatur annus nostræ salutis & vi-
tae, tertiusdecimus à trecentesimo, gubernacula rerum
Milciades, & delecta prope iam tyrannide, Constanti-
nus obtinebant, cùm Africana Ecclesia pridem lace-
rata factionibus ac studijs, maiore quam vnquam an-
teca rerum perturbatione cœpta conflictari, summis
appropinquabat, aderatque hisis Metropoli clarissi-
mæ. Initium & causa tanti tumultus ex electione
Carthaginensis Episcopi, cùm Catholici, & Donati-

stæ

stæ (in eas partes diuisum erat Africanum nomen) utrique sui corporis creari Pontificem vellent. Illi Cæcilianum, h̄i Maiorinum producebant, utrumque clarum inter suos, ita ut alterius præcipitia, & abrupta, & praua, non cederent alterius honestis & sanis. Ac Donatistæ velut indignati catholicum hominem cum suæ factionis homine pari sorte componi, fixere ulro crimina, queis aduersarium virgerent. Ita cum nullus dissidio finis inueniretur, deteriorq; pars haud dubie potentior esset, circumuenti Catholici consilium illud inicte, ut peterent arbitros atq; disceptatores à Constantino, qui sua componerent autoritate litem, paxque rebus fieret. Non placebat principi tota res, subeunte videlicet animum cura, ne sacris rebus immiscendo sese, partem alieni iuris usurparet, atque piaulum mereretur. Rursus opprimendam innocentiam relinquere temeritati ac furori, non boni principis arbitrabatur officium. Quod inter cauta & benefica consilia medium erat, id ipsum exsequitur. petit à Miltiade Pontifice maximo, uti deligat Episcopos qui diligenter auditis accusatoribus & reo, cognitaque causa, rem ad otium deducant. Episcopi treis Gallici generis, Itali quindecim, ut quisque moribus & sapientia grauissimus habetur, sunt in id iudiciū à Pontifice Romam euocati, quorum nomina percensens Optatus Milleuitanus primo loco Miroclém refert. Mirocles absoluto Cæciliiano compositisque Carthaginiensium rebus, Mediolanum redit excelsò coquens animo noua instituta & leges, queis Ecclesiam illam ad perfectum expoli-

sic.

ret. Inter cætera sanxit & instituit, ut Clerici certas
preces in certa templo recitatum irent, rem à Kali-
mero dudum inchoatam, sed adstrinxit ipse regulis,
& quotidianum officium in horarum interualla de-
scripsit. Idem cæremonias & ritus ad psallendi ordi-
nem accommodauit, atque vt pie ac sancte fierent
omnia, sacras ædes lustrare est aggressus, quæ per
licentiam eorum temporum contaminatae ac violatae
fuerant indignis modis. Scilicet infensissima Chri-
stianæ religioni Cæsarum impietas permiserat sacri-
lego furori tam effrænem potestatem, vt, quæ pro-
fanis in locis facere pudor aliquis fuerit, ea liberè ac
palam ad ipsas aras multi mortales audenter, Basili-
ca Naboris & Felicis præcipue senserat iniuriam, &
viderant sacri parietes ea, quæ procul à nostris ab-
esse litteris oportet. Sed Mirocles tantum huic Ædi
splendoris, & ornatorum adiecit, vt eam infa-
mam obliteraret. Neque decrant Merocli pecuniæ
subsidia, queis Templa & rem vniuersam ecclesiasti-
cam augeret ac decoraret. Habuit enim præter ge-
neris & doctrinæ claritudinem, eas facultates, vt quæ
admodum vulgo nunc loquimur, diues & fortunatus
haud dubiè posset appellari. Qui de illo scripsere,
nominatim hoc addunt, & proximus horum tem-
porum memoriae Diuus Ambrosius id ipsum affir-
masse est visus. Nam in ea concione, quam ad Po-
pulum Mediolanensem contra Auxentium habuit,
ideo se Mediolanensis Ecclesiæ patrimonium enixe
conseruaturum esse profitetur, vt Meroclis, & cæte-
rorum, qui eam locupletauerit, munus tucatur, nec

vlla

vlla eorum liberalitati fiat iniuria. Ad Cleri disciplinam, & ab ipso Miroclete iacta rerum fundamen-
ta potius id pertinere coniectauere nonnulli. Cæte-
rūm de opibus quoque ac de vitæ subsidijs, quando
testimonia congruunt, videri dictum potuit. Talis
hic Episcopus erat Mediolani, cùm pestilentia totam
fermè Italiam inuasit, quæ non modò pernicioſa ta-
be inficeret corpora, vibemque præcipue nostram
quotidianis funeribus exhauriat, sed à religione quo-
que auerteret animos, & Ecclesiarum toti pro frequen-
tia & celebritate, miserandam solitudinem inferret.
Inde scilicet Merocli materia caritatis & patientiæ,
quæ tanta fuisse dicitur, ut modum excederet earum
rerum, quas diuini homines vitæ prodigiis animis in
tali re ac tempore, antea, postve factitauerunt. Non
tamen ea diurna calamitas fuit, quippe quæ per
flagrantissimos æstus inuecta, hyems statim aduen-
tante cessavit. Ita, postquam grauiori tempore anni
circumacto, salubria corpora cœperunt esse, etiam
religioni, sui paulatim honores rediere. Et Ecclesia
quasi lætior ac viuidior ab stirpe renasceretur, miris
incrementis nouam maiestatem ac decorem est con-
secuta. Mox ingemuit amissio Mirocle velut relictæ
solitudini & orbitati. Cladis eius annum hæstanter
admodum & ambiguè scriptores tradidere. Sed ego
facile posse arbitror extricari. Nā cùm anno CCCXIII.
Romanam Synodum obierit Merocles, cùmque pri-
mam Arelatensem uno anno post habitam Orosius
ipse frequentarit; in promptu est, quo anno exceſ-
ſisse Meroclem dicas. Oportuit autem id accidere

sub

sub anni ipsius exitum, quo redierat ab urbe Roma, siquidem agere potuit & constituere quæ memoraui. An vero durauit etiam in partem illius anni, quo Pontificatum Orosius inchoauit. Hic Orosius neque eius patria, neque fortuna & stirpe quantus fuerit, comperti quicquam habemus; ne res quidem ab ipso gestas in Pontificatu seruat ullæ literarum memoria. In Arelatenfi Concilio Comitem atque Collegam habuit ex Mediolanensi Cleto, Nazareum nomine. Magna ea Synodus cognoscendæ iterum Cæcilij Carthaginensis accusationi habita est, cuius tamen acta plerisque suspecta esse video. Interfuerunt Patres ad ducentum, & Constantinus ipse Cæsar interfuit, primus ferè conditor Ecclesiastice securitatis, & haud dubiè Christiani nominis liberator. Is instinctu suo pre iam antea penitus obuersus in sacra & Deum, exarserat hoc tempore maiore Christianæ religionis studio, postquam sublimem cœlo crucem, & ad vietoriam inuitantia verba mirabiliter vidisset. Nullam iam priorem agitabat curam, quam ut ex diurna veluti iactatione conquiesceret pietas, atq; ut Ecclesia post fœnas tempestates, optatum pacis & otij portum inueniret. Quacunque patenter imperij fines, extrui templa, salutatem Euangeli doctrinam euulgari, & quod plus accederet authoritatis, immune esse quicquid Ecclesiæ nomine possideretur, iusserat. Per eam optimi Principis indulgentiam & pietatem, hoc tempore Christiani gloriosum de tota superstitione triumphum agebant, festos agitabant dies, ritus & cæremoniæ, tum veteres reuocabantur, tum insti-

instituebantur nouæ . Rebus hisce consultandis atq; constituendis , vt grauissima quæque incidisset delib-
eratio , conueniebant Patres , eaque origo tot per il-
la tempora conciliorum fuit . Et intererat aliquando
Cæsar ipse , non vt sese rebus Ecclesiasticis immisce-
ret , vtuc quasi moderator & arbiter fieret Ecclesia-
sticæ rei , sed vt sua comprimeret authoritate , si qui
tunc fortè turbulenti homines ac seditiosi , florentis
Ecclesiæ solicitare statum , & quietem auderent . In
hac Arelatensi Synodo , sicuti dictum est , turbabante
Donatistæ , suntq; fracti præsentia Cæsaris ipsius , &
consensu patrum , inter quos Orosius . Post Oro-
sium Eustorgius præst Ecclesiæ Mediolanensi , di-
scriminis causa dictus primus propter alterum eius-
dem nominis , Theoderici Regis æqualem , qui suo
loco nobis in partem operis est venturus . Eustorgius
primus natione Græcus , instituto vitæ homo mili-
taris fuit . Is ab armis ad sacra in hunc fere modum est
traductus . Cum Imperator Constantinus , per Ita-
liam , perque cæteras prouincias , potestatis suæ vica-
rios mitteret , fortè euenit , vt Insubria mandaretur
Eustorgio , qui manu & consilio multa præclara fa-
cinora iam fecisset . Eam ille prouinciam , dum in-
nocenter ac sanctè , nec minus prouide ac sapienter
administrat ; increbuit fama de viro , quæ summos
& infimos , quasi delapsi de Cælo publici parentis
exciret . Ita factum est , vt cum Orosio successor quæ-
ratur , omnium vota in eum consentirent , neque
potior quisquam vnuſ inueniretur . Ea vulgatior fa-
ma est , quam quæ tradit , Eustorgium , cum Impe-
rato .

R

rato .

ratoris missu Romam iuisset, ita probatum fuisse Pon-
tifici maximo, ut ipsum aliquandiu haberet inter fa-
miliares, deinde populo Mediolanensi pastorem da-
ret. Sed vtro tandem initio destinatus electusq; fuc-
rit, certè conuenit inter grauissimos authores, eam
dignitatem ipsum recusasse diu, more scilicet incly-
to cælestium animorum, qui multùm quæsita, &
petita cæteris mortalibus adsperrnantur. At postquam
oneri succedere propè est coactus, ita se fore para-
tum ostendit, si Constantinus ipse noui honoris au-
ctor fieret. Non enim posse demandaram ab eo præ-
fecturam deserere ipso inconsulto; simul esse ciuilis
animi de nouo instituto vitæ ad monere principem
suum. Ideò Byzantium profectus, & exposita, si-
ue Pontificis maximi destinatione, siue populorum
consensu, quid Principi super ea re placeret, roga-
uit. Annuit Princeps, & cùm nouum Episcopum
Mediolanum dimitteret ad suum pastorale munus,
non modò muneribus cum, sed etiam Mediolanen-
ses ipsos, in eius gratiam, priuilegijs & immunitati-
bus honestauit. Periere immunitates & priuilegia.
Dona fuere, multæ sanctorum reliquiæ, ac nomina-
tim corpora trium Magorū, qui ad veneranda Chri-
sti liberatoris incunabula, secuti stellam indicem, ex
Persica quondam regione venerunt. Treis Magos He-
lena sanctorum rerum indagatrix, magno studio cō-
quisitos aduectosq; Byzantium in Aede Sophiæ col-
locauerat, nullo miraculorum fine, quibus ei The-
sauro fides & authoritas adstrueretur. Acceplos Eu-
storgius quanto maximo potuit apparatu Mediolanū

aue-

auexit, ingemiscente, sicuti fama est, atque multum
fremento Populo Constantinopolitano, quod tam-
quam ex irreligiosa terra sacræ reliquiae procul in alias
terras adsportarentur. Sed ita placitum Cæsari, ut ca-
rissimum sibi caput ornaret eo munere, quod plu-
rimi esse omnes intelligerent, quodque maxime te-
statum amorem faceret. In quibusdam annalibus in-
uenio, cum ea trium Magorum corpora Mediolanū
adueherentur, haud procul ab urbe, quendam admirabilem
casum incidisse de quo referam prout acce-
pi. Cum unus e bobus, qui trahebant arcam, labo-
ri fortè succubuisse, nec reliquæ deinde belluae suf-
ficerent oneri, subito pererrans arua lupus obtulit se-
se, cumque ministri cicurem, & quasi volentem
adiunxere iugo, atque ita peregrinum illud animal
effusæ ad videndum ciuitati, noui obsequij spectacu-
lum præbuit. Incredibilis dictu res, vel fortasse etiam
eiusmodi, quam seueri homines haud satis historia
dignam putent. Sed ego non referrem, nisi accessi-
sem ad columnam, quæ in ipsius Eustorgij basilica,
totius euenti sculptam effigiem ostendit, & nisi vi-
cus, quem inde Vaccam appellauere miraculi monu-
mentum esset. Porro, cum ad Diui Barnabæ fontem
pompa peruenisset, dicuntur illicò substitisse iumenta,
sic, ut de repentina illa tarditate dimoueri non
possent. Tunc Eustorgius haud dubio argumento lo-
ci religionem interpretatus, eo in loco cellam ædifi-
cauit, ibique corpora trium Magorum condidit.
Hæc est illa Cella, quam postea ipsimet Eustorgio di-
catam religio & opulentia consecuti temporis miri-
ficam

R 2

ficam in amplitudinem & laxitatem extulere. Usque
in Diui Ambrosij tempora, basilica Regum dicta est;
ipse novo nomine superindito veterem appellatio-
nem antiquauit, & instituit ibi Canonicorum ordi-
nem, quos multò post Henricus Septalius in Lauren-
tiani Templi ministeria cultumque descriptis, cùm
Basilicam ipsam Dominicanis fratribus attribuisset.
Ac ne Magi quidem ibi fuere diu propter iniuriam,
scilicet Ænobarbi, qui decus illud inuidit Italiae, &
Rinaldo Coloniensium Archiepiscopo, sacrilegus lar-
gitor dedit. Sunt qui Diuam Helenam Constantini
matrem ibi fuisse tumulatam tradant, & quandam
huiusmodi narrationem inserunt, fingendi licentia
magis, ut ego quidem arbitror, quàm rerum fide.
Quippe soluta per temporum hominumque varieta-
tem Ecclesiæ disciplina, cùm sacræ res, ut assolet,
quotidie traherent aliquid ex profano paulatimque
cuncta vergerent in præceps, & essent omnino tem-
pora similiora tyrannorum prauitati, quàm sanctissi-
mis Constantini moribus, inclita religione matron-
nam ad formandum Ecclesiæ statum componenda-
que res animum adiecisse. Ea cura & studio, cùm
varias vñā cum Siluestro sacrorum principe diuina
societate terras obijsset, venisse Mediolanum. Ibi la-
boribus, & senio confectam expirasse; neque locum
sepulturae visum ullum aptiorem eo, qui nimirum
ipius donis ac liberalitate sanctus & augustus esset.
Quin & facta monumenta peregrinationis eiusmodi
sunt in promptu seruantque Laudenses, & monstrant
velut ipius Siluestri muaus conflatam clauem ex ca-
tena,

tena, quæ D. Petri pedes ad strinxit. Hæc super id, quod ab dubiæ fidei traduntur auctori bus, promte refutaueris. Nam, & parum decora species fuisset mulierbris agminis, & pontificij comitatus, & quotus quisque nescit, sacrum Helenæ corpus Romæ situm fuisse? Ac de Reginæ quidem reliquijs & peregrinatione ac sepultura, liberaliter & ingenue dicta nobis hæc sunt: Magos verò, quod quidam velut infensores Ænobarbo, penitus inuidere nobis, urbemque Mediolanum tale noctam vñquam fuisse decus negant; id nimirum operat pretium arbitror vendicare. Id fieri more nostro quam simplicissime, ne miscere iurgia & rixas, ne cuiusquam notare ac perstringere toruitatem videamur. Iam primum igitur præter ipsam antiquissimam originem & appellatiōnem Eustorgiani Templi, quæ titulum & corpora Magorum præfert, satis constat, nunquam dubitasse consensum vibis, quin anniversaria Regum celebritate venerarentur eam cellam idque monumētum haud sine pia quadam indignatione ac fremitu in malam illam manum, quæ tanto præsidio ac firmamento res Italas nudauit. Tradita per manus, & accepta iam inde ab ipsis Eustorgij temporibus consuetudine, vadunt illuc imprimunt oscula loco, fundunt preces, vota suspendunt, haud facturi per tantum æui, si frustra semper fieret. Ipse porrò locus in quo iacuere tricis Magi visitur ea facie ac forma, quæ penitus congiuat, & traditioni ciuium & litterarum testimonio. Stat grande cœnotaphium ea capacitate, quæ non supino ut assolct situ, sed composita in re-

ctum

Etum corpora possit amplecti, sicuti quidē sitos fuisse
treis ibi Magos accepimus; & opportune patescit
ostiolum, ex quo bracteati Reges festa quotannis lu-
ce producebantur in publicum, & ostendebantur vr-
bi donec metu temporum occultarentur. Stella quo-
que illa benigna dux & monstratrix itineris cerni-
tur antiqui operis luce monstrans idipsum, quod té-
pora, quod homines obscurauere. Ac sunt ista qui-
dem argumenta rei totius & conjecturæ non sanè
momenti minoris apud æstimatorem æquos, quām si
quis ipsa proferat monumenta litterarum & auctori-
tates. Nunc erunt auctores & litteræ, quas nemo sa-
nus adspernetur. Gulielmus Neubrigensis, qui res An-
glorum memorauit, vixit anno, quem Ecclesia milles-
imum ducentesimum agebat. Is proximus Ænobar-
bi armis ac ætati, quo loco nostræ vrbis excidium
refert, Mediolanenses ait ingruente barbaro, templæ
omnia, quæ extra vrbem erant, diruisse vltro & cō-
planasse, ne scilicet hosti castella & arces forent. Id
cùm Eustorgianæ fieret Ædi, totaq; illa moles æqua-
retur solo, treis in subterraneo specu Magos appa-
ruisse, cum ea litterarum inscriptione, quæ nullius
in re tanta labore fidem sineret. Antea fuisse per
multum tempus in obscuro; postquam innotuerint,
summa ciuium veneratione custoditos esse, donec po-
titus rerum Ænobarbus, vti dictum est, auferret. Ex-
sequendo inde subtiliter omnia Gulielmus idem, cor-
pora ipsa narrat, abique vlla mortis imagine ac ta-
be, reperta similia spirantibus, integra cute, coag-
mentationeque tota velut inter viuos; auream quo-
que

que laminam fuisse pro vinculo, ita ut inuicem co-
haerent. Hæc ferme Neubrigensis. At Petrus Equi-
linus, & Ioannes Frasquetius & Vincentius quidam
& Iacobus, nota Chronographorum nomina, pari con-
sensu tuis Magos, & Helenam, & urbem Mediola-
num, & Eustorgium Episcopum, & iniuriam Aenobarbi
referunt ac tradunt; neq; nos ultra, rerum se-
riem omittemus. Eustorgius familiaritate Constanti-
ni, & hoc Magorum dono clarus inter Mediola-
nenses, clarior suis moribus ac virtute, moderabatur
Ecclesiæ, cum noua res accidit, quæ supra mortale
fastigium illum adhuc efferret. Crispum filium Fau-
stæ nouercæ querelis exstimulatus Imperator affe-
rat extremo supplicio, passimq; propter eam necem,
& necis causam, attoniti mortaleis, pestem iuueniliū
cupiditatum fuerant execrati. Sed postquam inno-
centia Crispi, & infanda mulieris patuit libido; tunc
circumuentus adolescens, & incesta mulier, miseri-
cordiam & indignationem omnium conciuere, neq;
mora fuit Imperatori, quominus coniugis sanguine
parentaret filio. Helenam auiam, præcipue pecule-
rat atrox casus. Ea quò nepotis amissi desiderium le-
nitet, honorum vſitata vel noua congesit in ipsum,
è quibus maxime insigne opus fuit tumuli, quem re-
gali sumptu faciendum locauit. In eum tumulum
vrna ingens dum Mediolano Polam aduheretur, qua
in urbe, paterno mandato Crispus occubuerat, acci-
dit, ut repentina grauitate defixa moles nulla ratione
moueri posset loco, & conquisiti vndiq; artifices,
ergatas & molimina nequicquam admouerent. Id si-
mul

mul atque Helenæ est renuntiatum ; confessim ea
donat vrnam Eustorgio , & ille contactam excitauit,
vt facili deinde ductu quacunq; opus esset , sequere-
tur , effusiq; ad spectaculum ciues , mirificam & cæ-
lestem Episcopi manum sine fine laudibus efferrent.
Ea in vrna conditus ipsemet fertur , populo Medio-
lanensi spectata diu , donec more omnium humana-
rum rerum , admiratio & studia ciuium consenue-
re . Obiit anno decimo nono postquam à militari vi-
ta ad pastorale negotium euocatus fuerat ; & reliquit
de se moribusq; suis eam existimationem , vt com-
munis fama temporum illorum decernet ei cælestis
honores , haberetq; pro sacro & sancto . Magnis alijs
inclyta rebus huiuscæ Pontificis ætas , vna re , tem-
porum omnium bona felicitatemq; vicit , inuenta ni-
mirum cruce , quæ salutis nostræ fuit instrumentum ,
simul inuentis clavis , qui confixere salutem ipsam
ingemiscente natura . Partem crucis , & duos augu-
stissimi mysterij clavos , inuidendo terris omnibus
munere , quoniam seruat Ecclesia Mediolanensis : ideo
paucis expediam , quomodo lux ea prodierit in lu-
cem , simul de clavis , quoad res nostra postulabit ,
explicabo . Helena cùm ingrauescente iam ætate ,
properum sibi finem auguraretur , figere pedem in
terra Hierosolyma , priusquam excederet , concipi-
uit . Fœmina spiritus diuini , præter desiderium ob-
cundi nobilitata Christi vestigijs loca , satiandiq; ocu-
los adspicere telluris inclitæ , stimulabatur insuper acer-
bissimo doloris sensu , quod trophya crucis , & illud
salutare lignu ex quo Deus ipse pependisset , iaceret

in

in tenebris honore nullo; præclarum fore si cælestē munus inuenisset. Cum ea destinatione ac voto Hierosolymam proficiscitur, ac primo statim ingressu, fauente magnis conatibus Deo, reperit indicia & notas effossaq; humo, treis indiscretæ similitudinis cruces apparuere. Inde gaudium simul & cura, mox & miraculum fuit. Nam cùm ambigeret Augusta, quænam è tribus esset illa quam Sanctissimo corposse Christus nobilitasset, admoto cadavere (non cadauer alij, sed simillimam cadaueri mulierem tradūt) vitale lignum inquirit ac tentat. Ac prima quidem & secunda, contactu suo nihil mutabant; ad tertiam, vbi crucem est peruentum, emortuæ ac exangui spiritus & sanguis rediere. Ita sacrosancta Crux inuenta, cuius inter miracula, illud maxime mirum fuit, quod latè didita per omneis terras, occultis incremētis suffecerit expertentium auditati, & arida illa materies hausto cælitus humore, tantū increuerit, quantum quotidie pietas auferret. Nos quoque plus accepimus inde, quām vni deberetur vrbi. Sed clauorum præsertim excessimus munere, de tantulo numero duos nacti, non secus atque si dimidiati vicem amplius orbis obtineremus. Clauos, nonnulli fuisse quatuor perhibent, vulgatior fama treis tantum agnoscit. Sed siue hic, siue ille verus est numerus, constat magno testimonio Pontificis Ambrosij, solicitam & anxiā de filij salute matrem Helenam, ex uno clavo frænum, ex altero coronam iussisse conflari. Scilicet, euinctum tali diademate caput haud unquam in praua consilia posse deerrare, & insidentem fræ-

S nato

nato sic equo, pericula omnia variosq; præliorum causus esse feliciter euasum interpretabatur. Hoc ab illo Pontifice dictum est affirmatione non dubia. Porro sapientum virorum, & secutæ conjectura fuit ætatis; heredem Imperij Theodosium, cùm rebelliis obuiam iret, duo illa firmamenta vitæ ac salutis ysurpassæ; Mediolanum inde cùm venisset, Ambrosio Pontifici, quem in loco parentis amplectebatur, frænum ipsum dedisse dono. Ea fama placet magis, quām quæ tradit, Ambrosium ipsum cùm fortè Römæ oculos in fabri cuiusdam ferramenta conieccisset, splendentem hunc in usitato lumine frænum animaduertisse; ratum inde id quod esset, pretio persoluto quasi vile ferrum abstulisse. Id utique si ita factum fuisset, neque Paulinus omitteret æqualis Pontifici, & scriptor ipsius rerum, neque Pontifex ipse reticeret. Sed quocunque tandem casu, clausus hic ad Mediolanensem Ecclesiam peruenierit, in cælestis ac magnæ rei loco semper est habitus, neque vlla vñquam adeò contumax humanæ prudentiæ temeritas fuit, vt in publicæ religionis fidem atque consensum inquireret. Summa & editissima testudine Templi, quæ subiectam aram, respectu profundo tegit, adseruantur. Loculus nitet auro, munitur ferro, quinæ circa perpetuo lumine lampades ardent; non nisi per funes illuc est ascensus. Stato die, quo salutaris ligni inuentionem anniversaria gratulatione concelebrat Ecclesia, delecti Sacerdotes, fabricata ad id sede, sublimes inani spatio ac sinu, multipli funium atq; machinarum, & hominum ministerio librantur, donec ad

ad ipsa claustra sunt erecti. Tollunt inde reverenter
ac trepide vetustissimæ religionis ferulum, fit toto
templo dæmonum fremitus, obfessa corpora vim sen-
tient, siue interea dum ad ima descendit inclusa cri-
stallo pars humanae salutis, siue dum itinere descri-
pro gestatur sub vimbella per vibem, siue dum qua-
draginta hpratum spacio prostat in lara: instituiteam
cæremoniam atque pomparam D. Carolus Borromæus,
ex quo per huius Clavi religionē & sanctitatem ob-
secrato in pmine, ut sæuissimæ pestis finis fieret, im-
petrarat. Sed crucis primo, deinde clavorum memo-
ria longius nos ab instituto tempotum ordine iam
abducebat. Quare, unde digressi sumus, illuc reuer-
temur dicturi suo tempore de altero clavo, quod in
diadema diductum Moguntini municipes tuentur.
Tempore quo decessit Eustorgius, Ecclesiæ vniuersæ
status erat huiusmodi. Christiana sacra Iulius primus
administrabat pace rerum ac tranquillitate, quanta
nunquam fuisset. Namq; Constantinus præterpieta-
tem ingenitam & cælestia signa, quæ memoraui,
felicibus insuper quotidie magis euentis accendeba-
tur, vti rem Ecclesiasticam omni fouveret ope, fla-
gransq; vicissim demerendi Numinis cupidine, cre-
scere quam maximis auctibus eam volebat. Hæc pu-
blica pax & quies ad nostram quoq; pacem & quietem
redundabat, florebantq; Mediolani studia pie-
tatis & religionis Antistite Julio, quem Panuinius, &
Vaticani Codicis author ignorauere. Nos Romanæ
Synodi, quæ sub Julio Primo habita est, authorita-
tem sequimur, quam in urbium Episcopis inuenien-

S 2 dis

dis certissimam esse rationem præfati iam sumus : Iulius ibi Mediolanensis Episcopus extat inter cætra Patrum nomina, neque de huius Pontificatu ambigendi locus relinquitur. Sed non Episcopi vita, non Ecclesiæ diuturna quies fuit. Ille quarto sui Pontificatus anno decepsit, nulla re insignis præterquam Romanæ Synodi actis, & instituto tunc primùm sacrarum virginum cætu, quam muliebris disciplinæ consuetudinem per ea tempora magnus Abbas Antonius in Italiam transmisit ; & vrbs Roma primùm, deinde prompti ad omnia noua Mediolanenses accipere. Successit Iulio Protasius Algisiæ gentis, circa cuius ætatem atque Pontificatum viri graues hallucinantur. Nam, & à Siluestro Pont. Max. Mediolanensis Ecclesiæ rebus admotum fuisse contendunt, cùm excesserit Silvester anno fere duodecimo priusquam ipse Protasius hanc inire vigiliam posset ; & alij retro vocant eum in octuagesimum nonum annum à salutis nostræ ducentesimo, contra quām grauissima illa, & semper in omni re proposita nobis conciliorum authoritas pugnat ; & rursus ab ipso Ticinensem Epiphanium consecratum tradidere, cùm vixerit Epiphanius anno CCCCLXVI. neque maturius omnino tenuerit illius Ecclesiæ gubernacula. Meminit huiusc Pontificis Athanasius in Apologetico sermone, quem ad Constantem ipse perscripsit, indeque adeo sub quinquagesimum sextum sæculi eius annum decessisse vita Protasium constat. Nam cùm id Athanasij scriptum in eum ipsum annum inciderit, ibiq; paullò antea mortuus esse Mediolanensis hic Antistes dicatur;

dicatur; tota res est in promtu. Sepultus est in Basílica Portiana, neque dubitauit Ecclesia quin ipsum infereret cælo atque sanctis Episcopis adnumeraret. Mox Lætis Ecclesiæ rebus acerba Constantini mors interuenit, quæ turbaret ac misceret omnia, planeq; cum Imperatore sanctissimo, quies, & vniuersa Catholici nominis videri sepulta pax potuit. Ex eo, sublabi retro status Ecclesiæ, bella & factiones, & saeuitumultus insurgere, tuncque primùm Christiani principes in mutuam armati perniciem, exemplum dederre, quod postea nimium aude posteritas amplexa more furentum in sece vertunt tela, & quibus armis in communem ire hostem oportebat, hisce priuatim saeuunt, & grassantur. Extincto Constantino Magno, treis hæredes imperij, Constantinus minor, Constantius & Constans disparibus erga religionem animis Rempublicam obtinebant. Et constantini quidem, in patris instituta & mores abeuntis, propria mors nouo luctu afflixit Ecclesiam; Constantius & Constans, diuisio, sicuti Maximianus & Diocletianus, terrarum orbe, regnabant, ad Orientem ille Solem, hic ad Occidentem. Constanti mite fuit ingenium, & cura omnis in eo, rem Catholicam ut augeret, sanxitq; præter cætera, ne quis violare manes mortuorum, effodiendo vel demoliendo sepulcra, ne quis rapere virginem, ne quis Ecclesiasticam imminuere libertatem auderet; Contra ea si quis faceret, poenæ capitales intentatae. Alter ille temerarius, turbidus, auidus nouarum rerum erat. Ac postquam debellato Magnentio tulerat infelicis belli miserandam victoriam,

in

in tantum excesserat vanitatis, ut si se sine principio,
sine fine, rerum dominum, neque natum, neq; in-
teritum vñquam appellaret, eaque videlicet æter-
nitatis appellatio solennis esset formula iuranti quip-
piam aut scribenti. Crescente dein insania, penitus
delere Catholicum nomen agitauit, vt ex diuerso ef-
ferret Arianos, eamque factionem in summa consti-
tueret authoritate & gloria. Auctor eius nominis A-
rius Alexandrinae Ecclesiae presbyter, turbulentus
homo ac nequam, & gloriæ supra modum appetens,
quam quia bonis artibus consequi non poterat, ad
praua consilia animum vertit. Is noua in vulgus dog-
mata spargere, sacras litteras à recta sententia detor-
quere, varijsq; calumnijs ad suos errores accommo-
dare, concionibus & libellis adrepere mentibus ho-
minum, sc̄ò demum tendere, vt inducta in Ecclesiam
factione asseclisque comparatis, pro ignoto & ob-
scuro, partium caput atque princeps fieret. Nec de-
fuere vana passim ingenia, quæ facilè Arij temerita-
tis implerentur, eoq; rem adducerent, vt ille facino-
re suo clarus & magnificus incederet, oppositique
Catholicis Ariani diuerso nomine separatam religio-
nem sequerentur, & veluti propriam Ecclesiam ha-
berent. Quod nisi Athanasium Alexandriæ Pontifi-
cem contra furias illas ex altera parte Deus obarmas-
set, profecto aliquod insanabile vulnus acceptum fo-
ret, improbaq; secta rerum potiretur. Namque di-
uisi & sciuncti religione fratres, dum ad suos quisq;
potentiam trahunt, Catholici & Ariani fortunam al-
ternabant æquatis prope vicibus, & modò hi, mo-
dò

dò illi, véluti triumphabant alteros , parsque melioris
quia dubio certabat cunctu, pro victa iam habebatur,
& Ariani, quia pugnabant in publicam fidem, victo-
riæ spem quotidie audius rapiebant. Ac primò qui-
dem, pulso in exilium Athanasio , victores , dein, co-
dem restituto, victi , hoc rursus tempore viribus re-
paratis fœdissimam seditionem per conciliabula , &
conuentus exercuere, tanta frequentia , & consensu ,
ut recte atque ordine congregatos dices . Fuit au-
tem illud præcipue atrox & capitale concilium, quod
opprimendo Athanasio , & corroborandæ sectæ , ce-
lebrauerunt Mediolani. Eius concilij initia & progres-
sus exitumq; paullò fusius explicabo . Namque rem
eam ego maxime insignem fuisse arbitrör, atque me-
morandam periculo , quod aditum vitatumque est.
principes , & antesignani factionis Arianæ , Theo-
gnis , Eusebius , & Theodorus Perinthius , erant.
Hi homines , inter se communicato consilio, huius-
modi legationem ad Imperatore mittunt. Quoniam
ipsorum causa decidi nunquam potuerit, perq; con-
trouersiam illam plurima detrimenta quotidie rebus
publicis impotentur ; ideo petere , & orare , vti fi-
niantur lites arbitrio sapientum virorum , ne publi-
ca pax priuatis dissensionibus interpellata diutius rui-
nam secum diuini cultus trahat. Hæc legatio magnam
honesti speciem habebat, & videbatur eorum homi-
num, quos recta ratio , & cura communium utili-
tatum moueret. Ex altera parte tamen, ille procul-
dubio suberat dolus , ut interposita principum autho-
ritate, Catholicam Ecclesiam abolerent, quam spem
illis

illis Constantij fauor, & contrariæ partis accisaë vires adferebant. Usque in Constantini minoris obitum extracta, & dilata est cognitio. Ipso demum extinto, concilium dicitur, eiq; celebrando statuitur vrbs Mediolatum, verbo, propter plurimas rerum omniū opportunitates; sed qui rem totam altius coniecta-
bant, intelligere potuerunt, ipsomet architectante dolos ac machinante Constantio, vrbeam eam delectam fuisse propter occultam hanc rationem, ut præ-
sens ipse suorum causam facere posset meliorem. Id autem erat facile habenti regale solium ibi, tacitasq;
vulgata sui animi propensione minas cuilibet inten-
tanti. Atque prima haec iniuria facta Catholicis est in ipso iure, quod de summa rerum ita dimicare sunt
coacti, ut arbitrum eundem & infensissimum hostem
haberent. Conuentus eiusmodi simul atque est indi-
ctus, optimus & sapientissimus quisque patrum, pro-
uisu periculi, varias necundo moras, tergiuersaban-
tur ac refugiebant. Eusebius ante omnes Episcopus
Vercellarum non modò recusabat ipse, verùm etiam
qua pollebat autoritate continebat cæteros, ne se se
committerent ei concilio, quod in Catholicæ rei cladem esse comparatum viderent. Itaque, cum Arianos
omneis improba spes, & iam animis præcepta victo-
ria facilime congregasset, sacra cohors aberat, &
gaudebant patres, tamquam ea ratione periculis Ec-
clesiam eripuissent. At postquam vident Ariani ca-
dere in irritum cœpta, neque fore sibi locum ad ea
quæ destinassent, nisi Catholicæ partis antistites Me-
diolanum adigerentur, denuntiatione atroci Vercel-
len-

lensem Eusebium aggrediuntur, ex cuius autoritate ac nutu tota res pendebat. Ea porrò denunciatio fuit eiusmodi, ut se ex aequo & bono, finem imposituros esse controversijs minitarentur, si recusaret ultra concilium obire, quod rei ad liquidum cognoscendae, ac diiudicandae indictum foret. In eam rem acres homines, Eudoxium & Germinium legatos misere cum litteris, quarum sententia haec erat. Adduci se studio pacis, & concordiae diuinisque praepuis, prius ut omnia tentata velint, quam pro imperio & autoritate quicquam decernant, quod offendere aut solicitare illius animum possit. Rem esse totam eiusmodi, nihil ut ultra pati morae ac dilationis queat. Marcellinum, Photinum, & Athanasium seditiones homines atque turbulentos, qui publicam quietem interpellent, & sacrosancta dogmata conuellant, esse notandos authoritate Concilij, sic, uti conatibus importunis in posterum absistant, neque locus ultra relinquatur illis ad rectae fidei sinceritate inficiendam ac deprauandam. Eos iam esse damnatos orbis Christiani consensu; nunc sententia & decreto Patrum oportere damnari. Proinde caueat, ne cunctando & subterfugiendo Concilium, publicam alat pestem, & moretur Ecclesiae commoda progessusque. Si cunctetur atque subterfugiat, contentiovis atque certaminis visum iri cupidiorem, quam viroratis & otij, & se nihilominus consilium esse capti-
tos sibi, & quae maxime fore in rem arbitrentur, ea ipsa decreturos. Plura scribi non attinere, cum legati coram omnia sint fusius atq; commodius expli-

T ca-

caturi. Hæc Arianorum ad Eusebium summa litterarum fuit, quæs inerant alia quoque honorifica in ipsum, & apta dissimulandæ fraudi, quam parabant. Nam, & prudens, & sanctus appellabatur, & mentione plurima utilitatum Ecclesiæ, concordiaque communis, sanos homines paternamque solicitudinem declarabat. Commodius igitur, ut in malis arbitratus Eusebius venire Mediolanum, & quoquomodo resistere sceleri, quam rem totam prodere per indignationem aut metum, inclinavit eò, ut adesset ad dié constitutam. Postquam Eusebius adfuit, insistunt cęptis Ariani. Et omni ope suscep̄tam actionē vrgent, magnopere videlicet solliciti, ne fugacia occasionis momenta dilaberentur, atque gerendæ rei præteruolaret opportunitas, dum Imperatorem haberent, dum Eusebius ipse teneretur. Petunt ut sua sententia damnent Athanasium, utque damnationis eius tabulas, adscripto una cum cæteris nomine sanciat atq; confirmet. Summa rerum, ut dictum est, in ipso vertebarū Eusebio, neq; dubitabatur, quin Pontificis illius autoritate commoti cæteri qui fluctuarent adhuc, exemplum amplecterentur. Eusebius apto consilio rem expediuit, hoc modò cùm respondisset; nihil in se fore cunctationis ad decernendum, quandounque primū omnium in acta Nicenæ Sinodi ab omnibus Episcopis ritè iuratum foret, Catholicaque fides ex eo præscripto, verbis totidem instaurata & suscep̄ta. Nam satis scire, quemadmodum praua religione laborarent quidam, nec velle sententiam & consilia communicare cum hæreticis, aut alio quo pa-

pa^{cto} consuetudini corum immisceri. Dionysius Mar-
lianus iam p^ræsidebat Ecclesiæ Mediolanensi, quod il-
la tempora subsidium habuere. Is arcanam Eusebij ra-
tionē statim intellexit, & Nicænae Sinodo subscribens
absq; mora, ex ea se^se formula Catholicis institutis ob-
ligabat, cùm Ursacius & Valens, facto in ipsum im-
petu, stilum & libellum ipsum ei de manibus extor-
sere. Fit clamor increpantium aut defendantium id
facinus; tota res in iurgia & tumultum excedit. Ca-
tholici Nicænam fidem vti profiterentur omneis ef-
flagitare; pars altera vociferari, reluctari, dicere ni-
hil opus esse Nicænis decretis, & sacramento. Ita
re infecta, aliis aliò sunt dilapsi. Ex eo die, vulga-
to per Vrbem, quid Ariani molirentur, & quidnam
specioso titulo tegere voluissent, mœror ingens Popu-
lum occupauit. Indignari pro se quisq; ac miserari
vicem Ecclesiæ, non probris in seditiosos Episcopos,
non querelis in Cæsarem abstinere, iamque pro Dio-
nисio cæteroq; Catholicorum coetu haud dubie vim
parabant. Qb ea principes Arianorum elegere Con-
cilio sedem Palatium ipsum, eoq; p^ræcipites immi-
grauere. Sed quæ res parandæ securitati, ac vitando
periculo fuerat prouisa, ea concitandi magis adhuc
Populi principium fuit. Simul etiam ipse Cæsar me-
tu seditionis, & reclamatione popularium absterritu-
sus, minus iam & minus, insana conuenticula fre-
quentabat, eoq; destituti p^ræsidio mœrebant Ariani,
simul, & pauebant. Eo pauore p^ræcipitem in auda-
ciam delapsi cōponunt Cæsaris nomine litteras eius-

T 2 modi,

modi, tamquam Ariana placita inualescere princeps cuperet, totaq; secta cordi esset ipse rerum domino. Hasce litteras eo consilio in publicum euulgauere, ut si creditæ Cæsaris voluntati ac studio populus assentiret, pergerent porrò, & fortibus animis vteriora tentarent. Sin autem, id quod euenit, noua queretur irritatio, incumberet in Cæsarem ipsum omnis inuidia, & ipsi concitatæ plebis impetum eluetarentur. Suberat etiam illa ratio, ne destituti videarentur à Cæsare, quem abstinere Concilio nemo iam non sciebat. Repudiauere Mediolanenses Epistolam ijsdem animis, quibus actionem ipsam adsperrabantur, & egregium titulum meruere, tamquam Ecclesiæ in asperis rebus constanti sua religiohe ac pietate sustentassent. Mox Ariani circumsistunt Imperatorem, & fidem ipsius labantiq; causæ patrocinii implorant. Nec ille obfirmare animum potuit uti supplices repudiaret. Demisit se fœtum in perditos ipsorum conatus, augustumq; nomen, & summam fortunam cum profligatis hominibus miscere non dubitauit, isque cumulus omnium scelerum fuit. Namque cum arbitrum & disceptatorem se concilio apposuisset, Athanasij accusationem vtrò depoposcit sibi, quo Cæsaris furore contremuere patres, & denunciari sibi exitium illicè sunt interpretati. Ursacius & Valens, de quibus antea demonstrauimus, pertæsi suam væcordiam, qua vexassent Athanasiū, affingen- do crima, carpendoque suspicionibus varijs, eiurauerant sua testimonia & dicta, palamq; pronunciauerant quemadmodum insontem accusassent. Horum

OC-

occasione leuitatis airrepta Eusebius, & Dionysius vng
gebant Arianos, & efficiebant inde nihil accusa
tionem vniuersam habere solidi ac sinceri. Ita lababat
iterum Arianus, totque conamenta factionis insanæ
in irritum cadebant. Tunc enim uero Constantius ex
surgens, accusatorem simul & iudicem se se est pro
fessus; Si Valenti & Visacio leuissimis mortaliis
fidem abrogarent; at crederent sibi. Plus in princi
pis authoritate, quam in omnium testimonijs inesse
ponderis ac momenti. Cum ea princeps intonuisse,
haud ultra cuiquam verbis contendere necesse fuit.
Ius & æquum, & recta ratio erat in imperio ac po
testate suprema, neque veritati, & innocentiae aduer
sus obstinatos animos, & cæca odia præsidium vnum
relinquebatur. Damnatur Athanasius; cæteri, quanto
quisque acrius ac liberius, pro Catholica re senten
tiam dixisset, tanto, inseniori Cæsaris animo tele
gantur in longinqua terrarum, simul in fortitudinis
& Constantiae pœnam, simul ut amoti procul spem
omnem amitterent Ecclesiæ subleuandæ, quæ afflcta
in perpetuum & oppressa penitus videretur. Dioni
sius in Cappadociam est projectus propria Cæsaris in
ipsum ira, propterea quod obiecta fraude ac dolo,
cum in Athanasij damnationem consensisset temere,
ac per imprudentiam, Eusebij mox admonitu rese
derat eam sententiam, & latalibus ex laqueis se
præter Arianorum vota & expectationem exsuerat.
Addunt alij verbetibus quoque sauitum, ingestasq;
contumelias, quas inuidia solers, atq; cinetus armis
& potentia furor potuerit inuenire. Certe quidem ea
fuit

fuit lætitia, semimartir ut appellaretur, indicantem
culo relicum homini spiritum & vitam, de cætera
immanitate nihil omissum. Neque mitius actum est
cum Eusebio ipso Vercellenſi. Simul Pancratius, Hi-
larius, Lucifer, augusta nomina, & haud dubie firma-
menta Catholicae rei, in exsilium missi. Ad Liberium
quoq; principem factorum, furor & rabies illa perue-
nit, quem ablegatum in Thraciam constat ex eo iti-
nere peruenisse Mediolanum, & appellatum extre-
ma petitione ac tentamento, uti subsignaret eas ta-
bulas, quæ damnabant Athanasium, postquam in-
trepidus abnuebat, dimissum, miserante cum lacri-
mis Ecclesia Pontificatum extorrem, & sua pulsam
fede vicariam Numinis Maiestatem. Exsuli Liberio
Felix est suffectus; Episcoporum aliorum munera &
loca tenuere deinceps alij, prout quisque apud Con-
stantium gratia & fauore prior foret. Nobis ex ea
colluione Auxentius imperauit, exturbandi Dionysij
præcipiuus apud Cæsarem extimulator. Postquam
Auxentij scelere, furore Constantij, & illa Sectæ vi-
etricis temeritate ac violentia Dionysius excessit, fœ-
da certamina populum Ecclesiamq; Mediolanensem
exercuere, nec ibi deinde vlla forma sanæ ciuitatis
erat. Caput & origo malorum idem Auxentius, qui
cùm Dionysij sedem occupasset, acceptus Arianis, in-
uisus Catholico nomini, secum ipse discors, turbabat
omnia contrarijs mortibus ac studijs. Sed in ea
dissensione contentio dispar erat, adulterinumq; pon-
tificem & profana sacra, pars altera defendebat acrius,
quàm altera poterat oppugnare. Nam Arianos, prin-
cipis

cipis fauor feroceſ in certamen dabant; Catholicis ac-
cifæ vires, & ſumma iniqutia earum rerum, quæ
plurimum valere ſolent, ſimul atque diſcedi in par-
tes cœptum fuerit. Porro Auxentius ipſe ingenio ſe-
ditiosus erat ac turbulentus, ut, etiam ſi legitimum
magistratum obtineret, ſollicitare tamen poſſet ſta-
tum quietæ ciuitatis, neq; recti aut ſinceri quicquam
ſineret. Is, tūm concionando palam, tūm occulte
pollicendo, machinandoq; ſemper aliquid, quam-
plurimos traducere conabatur ad ſuam factionem,
quæ vbi ſatis ampla, ſatisq; firma viſa eſt, non tem-
perauit, quominus pericula atque terrores Imperato-
rios publicè omnibus intentaret. Itaque promulga-
tur edictum, quo monabantur Ciues, ut pro iusto ac
legitimo Pontifice Auxentium haberent. Si quis ad
illius iuſſa tardus contumaxve foret; proponebantur
ad terrorem ea, quæ principes interminari ſolent,
quando suas terrore leges armare volunt. Ab eo edi-
cto, pluribus timor & fœdi obsequij neceſſitas cre-
uit; pauci fidem & religionem ante habuere. Alte-
ros multa quotidie ſequabantur præmia ſceleris ac le-
uitatis, alteri mulctati & ſpoliati graue cæteris exem-
plum præbebant. Auctorem quoq; habeo, Sacerdo-
tes Catholicæ partis immisso Satellitio ſæpe pulsatos
ad aras, & populares, ibi res indignas pertuliffe, quod
venerant ad celebranda Mysteria venerandumq; Nu-
men. Dicuntur inter ipsa pietatis officia necati fer-
ro, perempti lapidatione vel incendio, quæve alia
ſunt exempla præcipitis iræ, hæc omnia ſuſtinuisse
quotquot Edicti authoritatem adſpernarentur. Sed
ego,

ego, uti magnam eam calamitatem fuisse concesserim, & valde inimica tempora Catholicæ religioni; Sic patratas per tempora cædes, & quasi Numinis vim illatam cunctanter admodum & dubitanti similis restulerim. Constantius enim & Auxentius, licet opinionis errore precipites ad exitium ruerent, spem tamen & viam aliquam salutis utique sequebantur. Neque vero sit simile, aut alterum permisisse tantum crudelitatis in subjectos, quos ad nouam religionem traduci per ocium volebat; aut alterum, id quod non permitteretur, usurpare. Cæterum hæc insectatio Catholicæ nominis, & veluti capta Mediolani pietas & religio, indignationem & dolorem externorum ciebat, auxilia nulla mittebantur, automissa non valebant. In quibusdam annalibus inuenio, Vercellensem Eusebium per hæc tempora Mediolanum iussisse missum à Pontifice maximo. Ibi postquam docuerit Cæsarem; quanto Republicæ Christianæ damno, pro Dionysio Auxentium imposuisset Ecclesiæ Mediolanensi, amouisse ipsum Auxentium, eiusque confutasse dogmata, queis animi multorum essent infecti. Quia porro Mediolanensis Archiepiscopi munera visceris; per id tempus obierit, hinc locum esse datum eorum errori, qui Vercellas ipsas aliquando fuisse Metropolin credidere. Sed ex eo potius, quod Eusebius idem adfuerit antea pugnanti in Arianos Dionysio; quam quod hoc tempore Mediolanum venerit, hanc apud illos valuisse famam reor. Cum enim per calamitatem eam quæ Catholicos Episcopos post Concilium Mediolanense distraxit, ipse simul cum cæteris

Euse-

Eusebius in exsiliū abierit , nec fortasse iam viuebat , neque si viueret , haberetur idoneus perferendis mandatis ad Constantium , cuius animū in ipso Concilio varijs actionibus offendisset . Sed ut Eusebium inter hosce tumultus fuisse Mediolani nō assentimur ; ita complectimur eam famam , quæ nominis incliti Martinum ea tempestate ibi aliquandiu tradit substiisse . Nam & ad ipsam congruunt tempora , & grauissimæ litteræ fidem adstruunt . Eius viri primordia & conatus pro Mediolanensium salute susceplos , itēque exitum explicabo . Nam præterquam quod res illius ad memoriam insignes fuere , simul etiam intelligetur , quām impotenter ac superbe Auxentius ageret ferret cuncta , & quām pertinaciter ad sanctitatem omnēm opprimendam excubaret . Martinus natione Pannoniensis fuit , eximia fama sanctitatis & modestiæ , atque tanta in pauperes caritate , ut cùm militarem vitam initio secutus esset , stipendia in ipso diuidiceret , sibi tantum referuaret , quantum quotidiana tolerandæ vitæ necessitas postularet . Mox animo mansueto militiam perræsus , & Ecclesiastica disciplina delectatus , ab Hilario Rictauiensium Episcopo in Acolitorum numerum adscribitur . Inde fidem Catholicam egregius Christi miles defendebat , cumq; paullo post in patriam reuertisset , magni concursus ad illum fiebant , iamq; Doctor ibi gentium habebatur . Sed Ariani coorti statim ex insidijs , neque consistere hominem passi . Per eorum calumnias , missus in exsiliū , forse , an consilio Mediolanum venit . Ibi tamquam in altera patria , tenui parato te-

V cto,

&to , & conciliatis amicis , discipulorum conuentus habebat , & quoquo modo poterat , in summa rerum iniuitate fungebatur Apostolico munere . Neque ambigitur, quin fibras Arianæ prauitatis ex mulierum animis euulserit, qui cupidi lucis , & salutis, vltro se se illi ad disciplinam dabant. Ac eorum postea crescente numero, Monasterium inchoauit, sicuti constans fama est , eaque Gregorij Turonensis testimonio confirmata. Hæc Martini cœpta & conatus, vbi procedere feliciter Auxentius videt , suis artibus hominem aggreditur. Et quia nullum innoxia vita criminis locum dabat, accusatores & testes è suo grege submisit , quorum infami conspiratione circumuentus Dei seruus ejicitur ex ea vrbe , cui lucem & salutem adferebat. Locus, vbi primùm habitauerit, Ticinensi regione iuxta Diui Victoris ædem monstratur ; Collegæ ac socij, Maurilius Andegauiensis , & Gaudentius Nouariensis memorantur. Hunc exitum Mediolani Martinus habuit aliorum postea gentium felicitati , & saluti destinatus postquam ibi locum obtinere non potuerat . Per septem sere annos ab illo turbulentio Concilio , Constantius , & Auxentius , & vniuersa res Arianorum grassata est inoffenso cursu , misericordisq; conflictata modis ingemuit ac nutauit Ecclesia. Demum Constantius extinguitur sera morte. Non tamen ille finis calamitatum. Quippe successerat Julianus cognomento Apostata . Is delere ac excidere penitus rem Christianam agitauit, eaque defensoris libidine confessum redditum est ad vetera Carnifices rursus , & Martires , & plena cædibus Ecclesia

clesia prioris æui saevitiae consimile spectaculum exhibuere. Mox Julianus ipse spectaculum fuit. Namque post nuncupata dijs inanibus vota, cùm tenderet signis infestis in Persam hostem incerto percussore vulneratur humerum lethali plaga, & nequicquam ostentantes tela corporis custodes, cùm aliquandiu fluctuassent, exanimem principem inter miracula Christianæ religionis adspexere. Scilicet respirare Catholicos aliquando, & Ecclesiæ toti ex turbido tranquillum exoriri diem oportebat. Ea spes orta, postquam sublato Juliano, rerum summa penes Iouianum fuit. Verùm is quoque brevi moritur, & eo mortuo, Valentinianus regnat optime erga Ecclesiam animatus ille quidem; sed ita, vt factionem Arianam sua perire tabe cuperet, tumultus & pericula non placarent. Auxentius autem ubi principis inclinationem animaduertit, tunc maxime cœpit intendere astus & dolos, optima specie pessimum animum occultare, vultum ac sermonem fingere, prorsus id agere, vt procellam imminentem pastoralis animi simulatione sustineret. Ac principio quidem, ex animi sententia res cadebat, & erat ea simulatio, vt tempori Arianorum accommodata & apta, sic diuturnæ perturbationi Catholicæ partis opportuna. Nam, & alteri, intentum in sua damna principem sic auertebarant, & alteris, illorum metus quietem & securitatem dabat. Cùm velut induciæ tacitæ per hunc modum essent, & quædam imago quietis ac pacis vibem obtineret, Hilarius Pictaviensis inclitus ea tempestate vir Mediolanum venit, vt cadeat, & ruinæ proximum.

V 2 Au-

Auxentium virgeret, futurus haud dubiè vindex & liberator eius Ecclesiæ, nisi casus quidam infestus obstatisset. Cæterum, patrum constat, veneritatem suoptem nutu miseratus ciuitatis amplissimæ statum, an iussu Pontificis Maximi, qui, Cæsaris animum, Auxentij trepidationem, quietem & silentia factionis vniuersitatem noctus, tantas rerum opportunitates amittendas esse non putarit. Is igitur Hilarius, simul atq; vidit, quo in statu res esset, ita conuincere Auxentium statuit, vt ei locus in posterum ad insciendos animos esse non posset. Quare petit à Cæsare, vt interposita ipsius autoritate, cum Auxentio publice disputatione liceat, ea conditione, vt si ille victus abierit, in perpetuum obmutescat, nec Euangelicæ doctrinæ, sanctissimisq; institutis oblatrare perget. Annuit amicus Catholico nomini princeps, atque vt recte & ordine fierent omnia, viros doctrina & autoritate claros iubet interesse disputationi. Iam animi omnium in exspectationem extremi certaminis erecti erant, iamque melior pars victoriam spe & cogitatione preceperat, iam alteri illi, sibi, & causæ, & magistro diffidebant, cum reluctari Auxentius, & fugere congressum cœpit. Causabatur, hominem esse irreligionem Hilarium, à Saturnino iam antea damnatum, neque dignum ideo, qui cum sermo publicè de rebus diuinis institueretur. Ille tamen instabat, & facile diluta calumnia, rem eò deduxit, vt Auxentio congregandi necessitas fieret. Vbi constituta dies venit, profert Auxentius ambigua quædam, obscuræ, perplexæ, quibus, cum nullam de religione sententiam

tiam explicaret, tamen dicere aliquid videri prorsus volebat. Nam fraus Hilario iudicibusq; multitudem, ambigui sensus, & in incertum implicatae voices, rerum obscuritate suspensam tenebant. Ita dies ille nodis & ambagibus extricandis insumptus, neq; postea repetitam fuisse disputationem inuenio, siue iudicium cluserit Auxentius, siue Hilarius & Catholici fugitante aduersarium habuerint pro victo. Certè res Arianorum ex eo dic, magis, magisque labi cœperunt, nec deinde Auxentio ipsi honos, aut fides habebatur. Clara per gentes, & bonis omnibus admodum lœta res fuit, ac Hilario ipsi publica gratulatio factio[n]is profligate titulum dabat. Sepultum ab eo Auxentium aiebant, eamq; postea vocem Diuus Hieronymus usurpauit, cum Doctoris illius pietatem, & animi robur extolleret. Sed nescitur quoniam postea modo factum fuerit, ut Hilarius ipse, domini reliquias contagionis tollere conatur, & urbis saluti perseveranter insistit, inde præceps in exsilium mittetur, neq; pulcherrimi sui facinoris assequi finem posset. Proximum vero est ex ijs, quæ traduntur, Auxentium, fractam suam debilitatamq; vim ad antiquos dolos, & machinamenta retulisse; Inde suspitione aliqua mala solicitatum Imperatorem, consilium cepisse de pellendo Hilario, Lætum Arianis, sibi & Ecclesiæ perniciosum. Hilario pulso recepero animos Ariani, & deinde pestis hæc usque in Ambrosij tempora varijs incrementis propagata multos mortaleis pessum dedit. Erat tamen interea locus aliquis Catholicæ veritati, & postquam valido secta-

con.

concussa motu labare semel cœperat , plurimis deinde ad eam labefactandam animus & vites fuere . Sed ut abolita tandem fuerit , vtque Mediolani , post illius excidium velut ab stirpe latior Catholica religio caput extulerit , in loco reddemus . De Auxentij existu difficile omnino est affirmare . Adeò implicant sententiæ , cùm alij repentina morte sublatum , plares ; morbo , & senectute confectum , quidam etiam in Thraciæ deserta relegatum tradant . Vt cunque ea res habeat , non maturius exoneravit Ecclesiam , quām anno decimonono postquam eam occupasset . Natione Cappadox fuerat , & specimen prima ætate dederat indolis haud malæ ; sed ubi superbia , & libido , cæteræque humani animi pestes locum habuere , malus prauusq; repertus est . Primum animi rebellis ac temerarij rudimentum sub Georgio illo posuit , qui pellendi Athanasij fuerat author , neq; sanè creditum est , tām multa sacrilega & nefaria ausurum fuisse Georgium nisi socium & instigatorem hunc habuisset . In Constantij gratiam sese per Eusebium quendam insinuarat ex ea seruorum nota , quos barbarica consuetudo , custodiæ thalamorum adhibet exsecta virilitate . Postea sua dexteritate suisq; paulatim artibus absq; vlo interprete vel adiutore peregit cætera , neq; parcm gratiæ locum facilè quisquam apud Cæsarem obtinetet . Ut ille decepsit , cùm rerum dominos humanæ vices identidem mutarent , eam ipse variationem mirificè ad suas vtilitates accommodauit . Si Catholicam ad partem principis fauor inclinaret , eò ipse dabat vitam & mores ; alijs intentus erat , vt vel

acce-

accepta damna sarciret, vel in posterū firmaret opes.
Hic homo, postquam pessimum vitæ genus incerta
morte conclusit, nescio quomodo factum est, ut pro
facto & sancto in quosdam annales abiret. Tantane
simulatio fuerit probitatis, an tanta eorum incuria,
qui æuum illud prodidere? Cùm Auxentium Aria-
num scribere debuissent, hominis nomen omis-
sum est, impietatis appellatio sacrum
titulum usurpauit; statq; ho-
die Sanctus Arianus

inter co-
rum nomina, qui Mediolanensem Ecclesiam ad-
ministruere. Id notasse volui non sine sto-
macho & ira, si homini perduto tam
felix etiam in mortis tem-
pora sua fraus
foret.

